



**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio V. De Principio Extrinseco, quod est causa efficiens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

expulsio, fit ab ipsa subtractione concursus. Et certe causalitas ipsius expulsionis formæ, non est ipsa præsentia formæ; nam positâ causalitate, impossibile est etiam divinitus non sequi effectum, positâ autem præsentia unius formæ, possibile est non pelli aliam, erit ergo causalitas illius expulsionis, subtractio concursus. Et certe expelli illius, est non esse illius, quod non debet esse quid positivum.

DICES SECUNDO. Pro illo priori, quod concipitur poni formæ, vel concipitur poni antiqua formæ, vel non concipitur: si concipitur, ergo pro illo priori concipiuntur duæ formæ; si non concipitur, ergo pro illo priori, antequam expellatur formæ, jam non est formæ, quod est absurdum.

RESPOND. Nihil refert, quod concipiantur duæ formæ simul esse, sufficit, quod pro sta-

tu Physico, fit non esse formæ antiquæ, esse novæ.

DICES TERTIO. Corruptis dispositionibus antecedentis formæ, jam non est forma antecedens; & tamen potest non introduci nova: ergo apparet antecedere non esse formæ prioris, introductionem sequentis.

RESPOND. quoniam causalitas expulsionis est subtractio concursus conservativi, quem Deus potest præbere quando voluerit, fieri hinc potest, ut antecedit expulsio formæ, & non ad exigentiam sequentis, nec ad ejus præsentiam. Unde consequens est verum, in casibus miraculosis, non autem ordinariis cursu: hoc autem non officit, quominus prioritas naturæ attribuat formæ novæ, respectu expulsionis veteris, quia assertum procedit de cursu naturali, in quo expulsionem veteris formæ, exigit productio novæ. Addo

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS.

Nomine principii extrinseci venit efficiens. Finis item, quia etiam finis non componit id, cuius est finis.

DISPUTATIO V.

De principio extrinseco, quod est Causa Efficiens,

Primum tractabimus de efficienti causa in communi, quanquam etiam miscebuntur multa de efficienti creato; postea de causa efficienti creata in particulari; denique tractabimus de efficientia causa increata.

QVÆSTIO I.

De Efficienti in Communi.

Efficientem causam definit Aristot. 2. Physic. Tex. 29. & 1. Metaphys. Sum. 2. C. 1. & 5. Metaphys. textu 2. *Est id, unde principium mutationis primum aut quietis.* Ly *Id.* est locò generis, & supponit pro causa, ratione cuius generis, dirimitur à privatione & reliquis, quæ non sunt causa, Ly *unde vel à quo* notat specialem habitudinem ac propriam phrasim efficienti: nam sicut vulgariter materiæ attribuitur ly *ex*

quo, dum solitariè sumitur, nam ly *ex* quo competit etiam formæ, dum non solitariè, sed unâ cum Materia sumitur, per ordinem ad componendum compositum, Fini aptatur ly propter quam, formæ ly per quod aut quò; ita ly *à quo* est attributum efficienti: per ly *principium primum* intelligitur, quod efficiens pro termino habeat id, quod est in omni mutatione primum in executione, adeoque primum sine addito, hoc est esse, quâ esse, & hoc esse, præsupponitur omnibus aliis, quæ sunt, esse cum addito, utpotè, esse sine addito. per ly *mutatio*, non intelligitur aliquid, quod fiat in præexistente subjecto, aliâs creationi non competere, sed pro quacunque acquisitione esse, sicut etiam per ly *quietis*, intelligenda est non privatio motus, sed possessio formæ.

Clarioribus terminis sic posset definiri causa Efficiens. *Efficiens, est causa determinans ad existentiam, secundum esse, quâ esse, seu secundum existentiam quâ talem.* Quamvis autem tota hæc defini-

definitio conveniat naturæ, non ideo est mala, quia tota definitio animalis conveniat homini; non ideo tamen est mala & universaliter definitionis superioris rationis debet inferioribus convenire, est autem species, efficientis natura. Cæterum à natura distinguitur efficiens ut sic, quia efficiens ut sic, non exigit esse substantia, secus natura, &c. &c. Quod autem hæc definitio non competat omnibus aliis causis, ex dictis colligitur, quia nulla alia determinat ad esse, quâ esse, non enim determinat finalis ad esse, quâ esse, sed ad esse, subratione talis boni, causa etiam materialis, non determinat ad esse, quâ esse, sed determinat ad esse recepti, & formalis, ad esse actuati; sola efficiens determinat ad esse, quâ esse, & confert sola, existentiam quâ talem. Est item hæc definitio distincta à definitione causæ ut sic, ob reduplicationem esse quâ esse, & reduplicationem existentia quâ talis.

Quia autem natura efficientis non melius explicari potest, quàm explicando actionem, quæ est causalitas efficientis. Hinc sit

DIFFICULTAS I.

Quid sit actio Efficientis?

Modalistæ dicunt, actionem esse Entitatem superadditam, negant Nominales. Ex professo multo huc concernentia tractabuntur, ubi de Unionem, quem tractatum præstaret prius legere.

Punctum Difficultatis I.

An sine entitate Modali salvari possit Actio?

DICENDUM EST; *Quod non:* PROBATUR argumento aliàs repetendo. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione; ergo etiam impossibile est transire à non esse agentis ad esse agentis, sine sufficienti mutatione. Utraque hæc propositio manet aliàs probata. Sed nisi ponatur entitas modalis, non ostendetur sufficiens mutatio, à non esse agentis, ad esse agentis. Ergo. Subsumpti.

Antecedens prob. Potest esse entitas ignis A. producentis, & entitas ignis B. qui supponitur, nunc productus ab igne, & non esse actio ignis A. in ignem B. Ergo nisi ponatur entitas modalis, non ostendetur sufficiens mutatio ad transitum à non esse agentis ad esse agentis. Quod ipsum probatur. Non enim hæc sufficiens mutatio erit in ipsis entitatibus ignis A. & ignis B. ut dictum, non in entitate modali interveniente, quia tu illam negas, non

in aliquo alio, quod sufficiat, quid enim illud tale est? Ergo.

RESPOND. PRIMO usitatis phrasibus, quando effectus habet actum huius ab hoc, non potest non esse ignis A. causa, & ignis B. effectus.

CONTRA, potest esse entitas ignis A. & entitas ignis B. & non esse entitas ignis B. habens actum huius ab hoc. *Neg. valet*, si dicas transire seipsò, hoc enim aliàs refutabitur, refutatumque manet in Materia de Distinctione Modali, sed insuper.

CONTRA est, ly seipsò transire non est aliquid præter entitatem ipsiusmet ignis B. transeuntis, ex quo sic arguitur. Potest esse entitas ignis B. adeoque omnia, quæ realiter sunt, & nemine cogitante, sua entitas, & non esse ab igne A. ergo illud seipsò transire, identificatum realiter ipsi igni B. non est sufficiens mutatio, ad transitum à non esse agentis, ad esse agentis. Neque ulterius valet, si dicas: Quod esse hoc ab hoc sit aliquid formaliter distinctum, hoc enim aliàs impugnatum, impugnabitur infra; nunc succederet dicere, formalitas illa est identificata realiter ipsiusmet igni B. quò posito sic urgetur. Potest entitas ignis B. cum omnibus sibi identificatis realiter, adeoque etiam cum illa formalitate, prout identificata, & non esse ab hoc igne A. ergo formalitas illa non est sufficiens mutatio, ut transeat ignis A. à non esse causantis, ad esse causantis. Ea quæ dici possunt de voluntate & concursu DEI, alibi refutantur.

RESPOND. SECUNDO. Sufficiens mutatio ad hoc, ut hæc causa censeatur causare hunc effectum, est, si alia causa illum non producat.

CONTRA PRIMO. Ponamus, quòd omnes causæ, quæ possibiliter possunt producere illum effectum, concurrant ad illius productionem, per quid, ergo transibitur à non esse producentis, ad esse producentis, non possunt transire per negationem, quòd aliæ non producant, producant enim omnes, quæ producere possunt, ergo ista negatio non est sufficiens transitus à non esse causantis, ad esse causantis, illudque potius, quod adferes, si legitimum erit, salvabit sufficientem mutationem.

Neque valet, si dicas, sequi ex hac ratione, possibile esse infinitum actu, siquidem si omnes possibiles causæ efficerent eundem effectum, essent infinitæ actu; non inquam valet, quia suppositio nihil ponit in rebus, Ly autem, ponamus, suppositionem importat. Deinde nego esse possibile, ut actu ad hoc assumatur, nec id habent termini rationis, licet possint assumi actu, nō tot quin plures, quanquam sive id per possibile, sive per impossibile fiat,

fiat, supponi id posset, quod sufficit ad nostrum intentum.

CONTRA SECUNDO. Quia id, quod est sufficiens mutatio, quare ex non agente fiat causa agens, illud est, quod responderi potest, quare hæc causa agat, sed quod alia causa non agat, non est sufficiens responsio, quare hæc agat. Quod ipsum probatur, quia si quærā, quare ista causa nō agit, respondebis, quia illa agit; si autem quærā, quare illa agit, respondebis: quia illa non agit, quod est idem, per idem dicere, nec difficultatem tangere, recursusque ad ipsam entitatem, extra nihil positam, in præsentia non potest dari, sicut datur in materia de Creatione, quia ipsa positio entitatis, non est in creatis, ex dictis, sufficiens ratio agendi.

CONTRA TERTIO, illud, quod est causam non agere, vel est quid positivum, vel quid negativum: si est quid positivum, quid illud est? cum etiam causis non existentibus verè competat non agere, etsi non agere est quid positivum, cur ergo etiam agere, non erit quid positivum? quod si non agere est quid negativum, ergo quod causa hæc agat, erit illud, quod de illa negetur, negatio scilicet, quod non agat, adeoque, ut dicit Arriaga, erit negatio negationis.

Coincidit hæc alia responsio, cum illa, transiri scilicet à non esse agentis, per hoc, quia Deus miraculosè non impedit, quo minus hæc causa agat, ita ut causari hanc lucem à sole non aliud sit, quàm esse lucem & solem non impeditum miraculosè ne agat.

CONTRA, impedimentum illud, vel est aliquid negativum, vel aliquid positivum: si est aliquid negativum, ergo agere causam, erit dicere negationem illius negativi, adeoque dicere negationem negationis; si autem illud impedimentum est aliquid positivum, ergo etiam reliquas causas, non agere est aliquid positivum, cum tamen non agere etiam non existentibus competat.

Deinde, sublati aliis omnibus impedimentis, non repugnat adhuc Deum denegare suum concursum, quem quæro cui denegat? non ad entitatem solis, v.g. hæc enim supponitur existere; non ad entitatem lucis, quia etiam hæc supponitur existere, & non ex vi actionis solaris, non ad meram formalitatem, vel conceptibilitatem, quia ad has nullus datur concursus: Ergo ad Modalitatē aliquam, quam importet actio, nihil enim aliud cogitari potest.

Denique actio aliqua non est negatio impedimenti, ergo & actio, ut sic non rectè definitur per negationem impedimenti. Antec. probatur, conservatio miraculosa, quā locò solis conservaret candela lucem, est aliqua actio, sed hæc, non est, non impeditio sola, cuius enim esset, hæc non impeditio? Et certè censetur Deus tunc concurrere, cum candela,

ad aliquid, etiam à parte candelæ se tenēs quod non sit ipsa entitas lucis, cum hæc possit esse & non esse concursus ad aliquid à parte candelæ, tanquam conservantis se tenens, & hoc non aliud est, quàm aliquid positivum, non aliud autem, quàm Modalitas aliqua.

RESPONDETUR TERTIO. Duplices posse spectari causas, quasdam ex quibus necessario pendet effectus, quale est verbum mentis seipsò dependens ab intellectu, qualis est positio creaturæ &c. Rursus aliæ sunt causæ, à quibus non necessario pendet effectus, sed potest ab alia causa pendere, qualis causa est ignis A, respectu B. causæ priores sunt ejus naturæ, ut dum causant, non debeat esse effectus causæ primæ, in ipsa ratione causæ formaliter acceptæ, inclusus, non in isto sensu, quasi cū illo simultaneo concursu non concurrat Deus, sed in hoc sensu: quia postquā Deus voluit entitatem illorum, non debet habere aliam specialem voluntatem, per quam velit, ut entitati causæ, invariabiliter competat ratio causæ, per ordinem ad effectum, respectu cuius, est invariabilis: jam autem causæ variabiles, præter entitatē, quā vult entitates illarum, indigent speciali voluntate ad hoc, ut causent ita, ut sine hac voluntate Dei ratione causæ habere nō possint.

CONTRA A capite. Tum quia quærere restat; quæ sit sufficiens mutatio, ut trāseat Deus à non esse id volentis, ad esse id volentis, de quo argumento aliās. Tum quia quærere restat; quid respondeat illi efficaci voluntati, cum ipsa entitas effectus sola, non sit sufficiens responsivum, cum illa possit esse, & non esse huic decreto, quod Deus vult illum ab hoc produci responsiva; sed responsiva alteri decreto, per quid ergo constituetur iste potius agens? Sed cum Nominalibus.

OBJICITUR PRIMÒ. Si actio est aliquid præter entitatem ipsius effectus, vel pendet per seipsam à causa, vel nō pendet per seipsam: Si non pendet per seipsam, ergo dabitur processus in infinitum: ad hanc enim actionem, danda erit alia actio, & ad hanc aliam alia, & sic ulterius; Quod si dicas, pendere per seipsam, ergo pendeat & effectus per seipsum: & quamvis penderet per seipsum, adhuc penderet per distinctam à se actionē, quia etiam creatura essentialiter pendet à Deo, & tamen pendet per distinctā à se actionē: ergo idem dicendum erit de actione comparata ad suam causam.

RESPOND. Modalitatem illam (quidquid sit, an in illa formaliter consistat actio) seipsā pendere, quia non potest esse à parte rei, & non esse ab hac causa, jam autē potest esse effectus, & non ab hac causa. Cujus ulterior ratio est, quia si seipsā non dependeret illa modalitas à causa, & esset essentialis determinatio agendi, & nō esset: esset, ut supponitur, ob naturam modi; non esset autē, quia posset nō dependere

ab hac causa, utpotè ad dependendum, indigens determinativo. An autem creatura se ipsa pendeat à Deo, de hoc infra. Quando autem hic obijciunt aliqui, indivisibiliterne an divisibiliter actio pendeat à causa, ad id responderi retorquendo potest; an scilicet effectus divisibiliter, an indivisibiliter pendeat à causa.

OBJICITUR SECUNDÒ. Actio & terminus debent commensurari; sed si esset actio quid superadditum, non commensurarentur, nam actio, v. g. generativa esset instantanea, terminus autem, seu genitum esset permanens.

RESPOND. Quidquid sit, an ipsa actio formaliter sit quid superadditum, rectè dici potest, actionem & terminum proportionaliter accepta, commensurari, & sic dum solò instanti durat generatio solis, etiam instanti sit genitum, quia tale, quod est terminus generationis. Sed actio & terminus impropotionaliter accepti non commensurantur, & sic terminus, quia conservatus, adeoque prout permanens, non commensuratur actioni, quia generatio est, instantaneèque perficitur. Deinde retorquetur argumentum, quomodo scilicet terminus, qui permanens est, proportionetur & identificetur, generatio, quæ est transiens.

OBJICITUR TERTIÒ. In divinis una Persona producit aliam, & non per aliquid superhuadditum; ergo & in creatis.

RESPOND. Non intervenire in divina productione, quidquam realiter superadditum ipsi naturæ divinæ, quia quæ in Deo sunt, identificantur eidem; intervenit tamè aliquid virtualiter intrinsicè distinctum, nempe in productione verbi ipsa dictio, distincta virtualiter à natura, & communi intellectione; & in processione Spiritus Sancti intervenit spiratio, itidem distincta: quia autem creatura non est capax talis processions virtualiter distinctæ, & quia non est necesse, ea, quæ creaturæ competunt, esse entitatem creaturæ, poterit benè poni aliqua modalitas, si ejus ponendæ sit aliqua necessitas, quam esse, adstruit argumentum factum. Immo exinde potest sumi confirmatio sententiæ adlatæ, quia si processio divina nō est mera formalitas, sed virtualitas quædam, æquivalens distinctioni reali; ergo & creata actio, si non importat realitatem aliquam, saltim modalitatem importabit. Sed quidquid sit, de antecedenti negari potest consequentia; quia potest esse entitas effectus, & non esse dependens ab hac causa: ergo ad tollendam indifferentiam, debet aliquid adferri, quod non est nisi modus; non potest autem esse una persona, quin producat ab alia; Unde etiam virtualitas dictionis & spirationis, non ideo ponitur à nobis in prima parte, ut auferat indifferentiam agendi, seu producendi, sed quia erat necesse ostendere principium formale,

Quò processions, idque distinctum realiter à termino producto, quod salvari non posset, si non poneretur prædicta dictio & spiratio, sed de hoc tractatum I. Part. Disp. 9. Num. 125.

OBJICITUR QUARTÒ. Si actio, esset aliquid superadditum, non posset ostendi subiectum illius receptivum. Quod probatur. Supponamus, creaturam assumi à Deo, ut instrumentum ad creandum, illa creatio non recipitur in principio agente, aliàs mutaret agentem, non in passio, quia aliàs passum deberet esse prius ipsa Modalitate, quia esset causa illius materialis, causa autem, est prior suo effectu.

RESPOND. Quidquid sit, an ipsa actio formaliter sit quid superadditum, ad objectionem dici potest, positò, quòd illa creatio, utpotè profecta à creatura, involvat modalitatem, dici inquam potest, quòd creatio non pendeat ab effectu, tanquam à causa subiectiva. Tum quia aliàs hæc causa subiectiva, supponi deberet ante suam causalitatem. Tum quia si creatio dependeret à passio, tanquam à causa subiectiva, illa actio non esset creativa, quia esset dependens à subiecto. Tum quia illa actio creativa causaret seipsam, causaret enim causam sui materialem. Dependet ergo illa creatio, vel illa Modalitas ab effectu, tanquam à termino, quia scilicet impossibile est esse actionem creativam, & non respondere illi passum; & sicut terminus est id, quod sistit aliquid, & facit nē ulterius aliquid procedat; ita passum, sistit creationem, ut ulterius non procedat, cum jam passum habeat.

OBJICITUR QUINTÒ. Nulla necessitas jus Modalitatis.

RESPONDETUR, esse necessitatem, ut ostendatur sufficiens mutatio, cur transeat à non esse agentis, ad esse agentis.

Punctum Difficultatis 2.

An formaliter actio sit entitas Modalis.

DICENDUM EST PRIMÒ. Actionem formaliter non esse modalitatem.

PROBATUR PRIMÒ. Si nihil obstat, debemus tueri & sequi sententiam Aristotelis; sed si ponamus, actionem formaliter non esse modalitatem, nihil obstat, ut videbimus in solutione argumentorū, & sequemur sententiam Aristot. quod prob. quia Aristoteles non tenuit actionem esse modum superadditum, quò enim locò id significavit? Deinde 3. Physic. Tex. 20. censet, quòd doctio (quæ est quædam species actionis) sit ipse actus docentis, sed in quodam, (hoc est in eo, in quo docetur) & non decifus, (neq; enim pars habitus positi in docente dividitur unicuique discipulo) sed hujus in hoc (quod significatur dependentia doctrinæ discipuli à Magistro) 3. etiam Physic. Tex. 4. docet: Motum non esse præ-

ter res, & ibidem Text. 7. *cum edificabile, quatenus tale ipsum, actum fuerit, edificatur, & hoc est edificatio.* Et quia edificatio, est actus edificantis, & hic actus edificantis, est ipsum edificabile, quatenus actum; etiam actio, seu edificatio, erit edificabile, quatenus actum. Immerito autem Respond. Arriaga, Aristot. intelligendum esse, quod dixerit, actionem non esse Ens completum: hoc enim mera divinatio est, nec hic discurre: an actio sit completum, an incompletum Ens, sed solum de hoc, in quo consistat.

PROBATUR SECUNDO. Sicut non sunt multiplicanda entia, sine necessitate, ita & rationes involventes formaliter rationem entis, non sunt multiplicandae, sine necessitate: nulla autem necessitas in entitate Modali, constituendi formaliter actionem.

PROBATUR TERTIO. Quia hoc dandum est argumento, quod petit argumentum factum pro modis, sed illud non petit, ut actio sit formaliter modus, petit enim nonnisi sufficientem mutationem, & sufficiens determinativum, hoc autem totum potest salvari, quamvis actio formaliter, non sit modalitas.

Quae hic obijci possent solvantur, ubi de unctione.

Quando autem dicitur, actio esse id, quod mediante producit effectus, item dicitur esse via & tendentia ad effectum: inferturque; ergo non potest esse quid in distinctum, saltem modaliter: id etiam non convincit, quia relatio est etiam non modalitas, & tamen illa mediante refertur, & tendit fundamentum ad terminum, verbum item mentis, non media modalitate per multos etiam modalitas producit, & tamen verbificatio, est via, & tendentia, factiva intellectionis. Deinde dici potest, actionem esse formalitatem intermediam, non autem entitatem, & licet repugnet mediante seipso produci, hoc est ipsa causa sibi identificata, sed non repugnat produci mediante seipso, hoc est, causalitate causa & effectui (infra circumscribendis) identificata.

DICENDUM EST SECUNDO. *Actionem esse formaliter formalitatem, non tamen sine modo.*

PROBATUR PRIMA Pars immediate adlatis. Secunda autem pars probatur adlatò argumentò supra.

Quod si queras, in quo tandem stet actio? ad quod dici potest, quod actio sit ipsa causa, prout est effectus ab illa, & ipse effectus prout est à causa; seu est ipsa causa, prout determinans existentiam effectus huius, & hic effectus prout determinatus ad existentiam, quod ipsum prout, quod ipsum determinare, habetur in circumstantia entitatis modalis, quā posita habetur, & *Ab* vel *A*, tenens se ex parte causa, seu *ab* activam, & *ab* tenens se ex parte effectus, vel *ab* passivum. Utrumque autem istud *ab* ponitur in explicatione causalitatis, seu actionis, quia Aristoteles, aut simul

utriusque meminit, ut 3. Physic. tex. 7. vel nunc huius, nunc illius, ut reflectens ad varios textus videbit. Et certe non debet excludi agens in explicatione causalitatis, quia actio, seu causalitas efficientis, est id, à quo effectus, qui certe, cum non sit à seipso, à causa erit. Ergo cum causalitas importet id, à quo effectus, importabit causam. Non debet etiam in explicatione causalitatis excludi effectus, quia nomine causalitatis venit, id quod ponitur, saltem, ut quo à causa, quae certe seipsam non ponit. Rursus actioni conjungitur passio, quae non se tenet ex parte causa, sed ex parte effectus: quia tamen potior est in causalitate actio agens, & id à quo activum, ideo principaliter etiam dicit ipsam causam.

Solutio Objectionum.

OBJICITUR PRIMO. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, per quid transitur à non esse *ab hoc*, ad esse *ab hoc*.

RESPOND. Per modalitatem, de cujus essentia est determinare *ab* huius activum, & *ab* illius passivum.

OBJICITUR SECUNDO. Aristot. 9. Metaph. Tex. 2. actionem vult, in re, esse ipsum agens, & in agente, non autem in effectu.

RESPOND. Aliis locis Aristotelem ad effectum etiam recurrere, loquiturque; illò locò de actione agente, seu de *ab* activo, non autem de actione acta, & de *ab* passivo, nec de eo quod intelligitur ponere agens, quò etiam modò explicandus est 2. de anima, tex. 26. 3. Physic. tex. 8, ac 20. itemque; S. Thom. 1. Parte q. 25. a. 11. & quaest. 45. artic. 1. ad primum. Hinc etiam quando censebat Aristoteles, mutandum DEUM, si in tempore mundum produxisset, non censebat mutandum, titulo acta ut dici solet actionis, sed quia DEUM censebat esse necessarium agens: hinc si in tempore produxisset mundum, potentia illi, mundi conditiva, accedere debuisset, aut novus volendi actus, per quod indubie mutaretur.

OBJICITUR TERTIO à P. Nicolao Trzaskowski, palmari olim Theologiae hinc Posnaniae Professore, qui & Cathedralia Capitula, & Diocesis hanc, & Religiones praeclarissimis discipulis implevit, raro insignitus talentò, ut illi, difficilius fuerit semel lectorum oblivisci, quàm meminisse. Hæc sententia favet prædeterminationi physicae, quia hac modalitate posita, non potest homo non operari.

RESPOND. In principiis Modalium, modalitas illa, cum sit ipsa actio, mirum non est, quod illa posita, non possit non fieri operatio: in nostris autem principiis dicitur, Determinationem illam modalem, non esse quidem formaliter actionem, esse tamen connotatum illius necessarium, illiusque positio est libera, & sita in po-

testate operantis, estq; ipsiusmet operationis & actus secundi, seu suppositionis exercitii libertatis completivum, nec se tenet ex parte actus primi, consequenter nec habet necessitatem antecedentem, sed se tenet ex parte actus secundi; cum tamen prædeterminatio, si attendatur natura illius, teneat se ex parte actus primi, quidquid sit quod hoc inficietur aliqui Thomistæ, quodsi antecedentem necessitatem, non importat illa determinatio, nec destruet libertatem.

INSTAT PRIMO, illud determinativum, vel antecedit actionem, vel sequitur. si antecedit, ergo se habet per modum actus primi, æquiparique debet prædeterminationi, ergo ulterius dabitur formale actionis, antequam detur actio, quia dabitur determinatio, ut sit hoc, ab hoc: si sequitur, ergo in illo priori actio, est sine sua formalitate & complemento.

RESPOND. Dari medium, nempe concomitanter, & simultaneè se habere.

INSTAT SECUNDO, Saltem se habet ita actio ad illam determinationem, sicut se habet relatio ad fundamentum proximum: sed fundamentum proximum, prius est relatione. Ergo & illa determinatio.

RESPONDETUR. Sicut fundamentum proximum, est simul simultate Physicâ, cum relatione, & nec illam antecedit, ut sit sine relatione, nec sequitur relationem, ita ut non sit relatio unquam, sine fundamento proximo; ita etiam actio simultaneè se habet ad illam determinationem. Et sicut fundamentum proximum, non se habet per modum actus primi Physici, nec per modum prædeterminationis ad relationem, licet ex illo fundamento intelligatur pullulare relatio: ita & in præsentia, & sicut potius fundamentum remota habet se potius per modum actus primi relati, fundamentum autem proximum tenet se jam potius à parte actus secundi, physicè loquendo, cum physicè actus secundus relati, sit ipsum fundamentum proximum, ita sine illa determinatione spectata causa, habebit se per modum actus primi, jam autem ipsa determinatio potius se tenebit à parte actus secundi, licet ex modo concipiendi, nec relatio cum fundamento proximo, nec illa actio habeant similitudinem, sed censeantur esse per modum pullulantium.

INSTABIS TERTIO. Ponamus, solam causam & effectum, cum illa determinatione, seclusâ illâ formalitate, verè erit effectus. Ergo verè erit causalitas. Ergo ulterius causalitas erit Causa, Effectus, & illa determinatio. Sed determinatio est Modalitas. Ergo causalitas erit modalitas.

RESPONDETUR. Ponatur fundamentum, ratio fundandi, terminus, verè erit relatio, & tamen præter hæc, censetur esse relatio formalitatis quædam, ita & in præsentia: & licet quidem

in re causalitas sit Causa, Effectus, Modalis de terminatio, tamen Metaphysicè est aliquid aliud, nempe formalitas, quæ censetur ex illis pullulare, & formaliter facere, ut hoc quidem, ab hoc sit. Quod si mente tollas illam formalitatem, idem fiet, ac si tollas, mente relationem à fundamento, ratione fundandi, termino. Et licet quidem, si ponatur causa, si ponatur effectus, nondum intelligitur huius actio, intelligitur tamen, si ponatur determinatio, neque tamen inde sequetur, causalitatem stare in sola determinatione, quia si ponantur tria, non erunt duo paria, erunt autem additâ unitate: neque tamen sequitur, quod duo paria, sint illa unitas, ita nec in præsentia sequitur, quod illa sola determinatio, sit causalitas. Est quidem verum, quod non possit poni determinatio, quin ponatur causalitas, sed quod non possit non poni, non ex eo est, quod in illa sola stet causalitas, sed quia ex essentia determinationis causæ & effectus ad causalitatem, sequitur, ut non possit esse sine causalitate: cumque illa determinatio, non intelligatur importare vim agendi, non erit ipsa præcisè causalitas, sed determinativum & completivum causalitatis, ut censeatur, hæc vis circa hunc effectum versata, & non alia vis, nec circa alium, hic & nunc effectum.

OBJICITUR QUARTO. Actio formaliter accepta, est determinatio physica principii & effectus ad esse Ab: subsumo: Sed hæc determinatio est modalitas. Ergo & actio formaliter accepta est modalitas.

RESPONDETUR. Actio formaliter accepta est determinatio physica, hoc est, involvit & connotat determinationem physicam, sed non est determinatio physica secundum se præcisè. Commemorentur dicta de connotatis. Actionem scilicet in his principiis dupliciter spectari posse, prout est in re & physicè, & sic dicit Causam, Effectum, & Modalitatem; deinde prout subest nostris conceptibus, & sic dicit formalitatem pullulantem, ex modo nostro concipiendi, constituentemque, ut hoc sit ab hoc, quæ causalitas, potest appellari determinatio Metaphysica.

INSTABIS. Ponatur actio formaliter accepta, & non ponatur illa, quæ pro connotato requiratur modalitas, illa actio erit formaliter determinatio physica: ergo & seipsâ, & non ratione connotati est talis.

RESPOND. Argumentum hoc est consimile huic: ponatur relatio, & non ponatur terminus, verè erit relatio. Ergo relatio non indiget termino: ponatur unio, & non ponatur Modalitas, verè erit compositum, ergo compositum non indiget unione modali: sicut ergo in istis, defendens hanc sententiam dicit, esse hoc impossibile, sequique & poni, & non poni relationem, ita & nos in præsentia dicemus idem.

OBJICITUR QUINTO. Illud connotatum ex vi cuius effectus, determinatur ad esse effectus, vel pendet ab agente per seipsum, vel per aliam actionem: si per aliam, ergo non spectat ad actionem formalisandam, quia actionis non datur actio: si per seipsam, Ergo potius formaliter est actio, quam connotatum actionis. In idem recidet, si dicas, illud connotatum, vel creatur, vel educitur: non creatur, quia nullum agens creatum habet vim creandi, & quia creatio non terminatur ad id, quod dependet à subjecto, sicut dependet illud connotatum: quod si illud connotatum educitur, vel educitur educatione à se distincta, vel educatione sibi identificata, non per educationem superadditam, quia etiam effectum dicerem produci per educationem superadditam. Si autem educitur per seipsam, Ergo illa est formaliter actio, & non connotatum actionis. Refert hoc argumentum Oviedo ex manuscriptis alicujus recentioris.

RESPOND. Illud connotatum & pendere seipso à causa, & non educi per distinctam actionem, inde tamen non sequitur, quid sit formaliter actio. Nam in sententia Ovied. mentis verbum, non per distinctam actionem produci- tur, nec tamen propterea inferitur, illud esse formaliter actionem, cum sit potius formaliter terminus, identificans sibi actionem, unio item in sententia, quæ illam ponit emanativè produci ab anima, utpotè spiritualement, non produci- tur etiam in probabili sententia, per intermediam actionem, neque tamen formaliter est per hoc illa unio actio. Quorum ulterior ratio est, quia esse dependens seipso, non est prædicatum primo essentiali & formalisativum actionis modalitæ, sed potest esse commune cum reliquis. Ergo quamvis nostræ Modalitati, hæc dependentia seipsa conveniat, non erit necesse illam constitui, hoc ipso in ratione actionis formaliter intermediæ, quam adstruunt Modalitæ. Unde actio formaliter est ratio, quare hoc quidem ab hoc sit, Modalitas autem est connotatum & sufficiens mutatio, ut à non esse, ab hoc, transeat ad esse, ab hoc, quam ipsam mutationem non est necesse, ex hoc ipso habere se per modum actus primi, quia etiam ratio fundandi est sufficiens mutatio ad hoc, ut transeat à non esse relati, ad esse relati, neque tamen ratio fundandi habet se, sicut actus primus ad ipsam relationem, suppl: Physicus.

INSTABIS. Actio productiva illius connotati, vel constituitur in ratione formali actionis, per aliud connotatum, vel seipsa: si per aliud connotatum, dabitur processus in infinitum: si seipsa, ergo & respectu aliorum effectuum, seipsa causalitas constitueretur in ratione formali actionis.

RESPOND. Seipsa dependere Disparitas de aliis effectibus est, quia effectus, hic ipse in entitate, produci potuisset, ab alia causa, hinc indiget alio connotato determinativo. Deinde id

quod in aliquo genere facit talia formaliter, seipso est tale, & ita, quod est ratio alia dealbandi, ab alio non indiget dealbari; quod est ratio determinandi, ut hic effectus sit ab hac causa, non indiget aliunde determinari.

OBJICITUR SEXTO. Actio generativa in divinis, est ipse Pater; ergo & actio in creatis erit ipse agens, & nullo modo effectus.

RESPOND. sicut datur spiratio activa, & spiratio passiva, ita etiam datur generatio activa, & generatio passiva: generatio activa est ipse Pater; passiva generatio, est ipse Filius: & quia entia creata sunt imitationes, quantum possunt etiam increatorum, concipere possumus, & actionem quam appellant agentem, & actionem actam. Actio agens est ipsum agens, nihil enim aliud est, quam ipsum agens determinans sibi effectum, actio autem acta, est ipse effectus, prout determinatus pendere ab hac causa. Ne verò agendo mutetur intrinsecè agens, dico illam modalitatem determinantem, recipi in solo effectu, neque obstat, quo minus illa determinatio recepta, non nisi in solo passo, tribuere tamen possit denominationem agentis, quia sicut ratione extrinseci temporis sortiri res potest denominationem hesterni, comestio vespertina, ratione serotini in se non recepti, sortitur denominationem canæ, ita & ratione modalitatis in passo receptæ, sortiri poterit rationem agentis, causa.

INSTABIS. Posito, quod ista determinatio recipiatur in ipso effectu, non poterit esse id, ex quo pullulet formalitas illa causalitatis, quod ipsum probatur, quia id, ex quo etiam ratione nostra pullulat causalitas, debet esse prius effectui, sed, licet sit prior causâ, tamen determinatio & effectus, non est prius quid, ergo ex illis non potest pullulare causalitas. Major probatur. Quia si causalitas debet esse prior effectui, ergo & ea, quæ sunt causa ipsius causalitatis, debent esse prius ipsa causalitate. Minor etiam principalis probatur: quia si illa determinatio recipitur in effectui, ergo educitur ex effectui, ergo præsupponit effectum, ergo non est prius effectui, effectus etiam pro sua parte, non est prior seipso.

RESPONDETUR. Cum secundum dicta supra, attendatur hic ad actionem agentem & actam, actio agens prior est effectui, nec ab illo desumitur; & licet actio agens sit in effectui, quia tamen est in illo, tanquam in termino, non debet adhuc prior esse terminus, illa actione. Hoc autem, ex quo educitur illa determinatio, non est effectus, sed subjectum, seu materia, quæ est prior determinatione. Hæc tota difficultas potest urgeri etiam ponendo, quod actio formaliter sit modalitas.

ADDO, quando formalitas causalitatis dicitur pullulare, hoc non isto sensu accipiendum, quasi pullulet ex effectui; sed quod non intelligatur pullulare, nisi in re sit effectus, determinatio & causa.

OBJICITUR SEPTIMO. Quæ referuntur transcendentaliter, non possunt idem esse realiter; sed actio refertur transcendentaliter ad effectum, ordo enim ad terminum est de essentia actionis.

RESPONDETUR. Negando, hic intercedere relationem realem inter illam merè formalitatem, & inter effectum; sed inter agens in actu, hoc est sumptum cum illa determinatione, & inter effectum, est dicta Relatio.

Punctum Difficultatis 3.

Expediuntur reliqua Actionem concernentia.

QUÆRES PRIMO, *Quid sit sentiendum de divisione actionis in actionem agentem, & in actionem actam.*

RESPOND. actionem agentem sumi posse pro ipso principio, seu virtute operativa, prout connotat positum à se effectum, & in isto sensu est ipsemet agens; quamvis hanc denominationem non acquirat, nisi in circumstantia effectus, consequenter actio agens, secundum id, quod dicit in recto, non est separabilis à principio, cum sit ipsummet principium. Rursus, actio agens sumi potest, pro eo quod egressum, à principio agente operatur, vel negotiatur passum, & sic est idem quod passio, prout passio dicit ordinem ad causam, à qua est, & hæc identificatur ipsi effectui, in circumstantia prædictæ modalitatis. Actio autem acta est ipsamet formalissimè passio.

QUÆRES SECUNDO, *An actio & passio sine distincta realiter.*

RESPOND. actionem agentem secundum id, quod dicit in recto & supponitur pro principio agente, esse distinctam realiter à passione, prout idem est illa realiter cum effectui.

RATIO. Quia causa & effectus distinguuntur realiter. Caterum formaliter accipiendo actionem, prout est actus hujus in hoc, & formaliter accipiendo passionem, prout est actus hujus ab hoc, sunt idem realiter, quia sufficit hæc solis connotatis differre, nempe, ut in quantum pender ab agente, vocetur actio, in quantum est in effectui, vocetur passio.

QUÆRES. *In quonam recipiatur actio, in agente, an in passio?* In agente recipi docent Scotistæ, in passio alii, & non est quidem difficultas de actione immanente, quam circumscribit Oviedo, quod sit actio, vi cujus formaliter terminus remanet in principio, à quo effluit, sed res est potius de actione transeunte, in quonam recipiatur, cum non debeat remanere in subiecto, à quo effluit.

Ovied. dicit: Non esse de ratione actionis, quæ constituat agentem, recipi in agente, quia

datur aliquid verè agens, in quo actio non recipitur, nempe Deus. Ergo de ratione actionis in communi, non est recipi in agente. Sed dicit idem, nec esse de ratione actionis recipi in termino, quia alias terminus causeret actionem, immò sequeretur ulterius, quod causalitas causeret seipsam, quia esset causa principii causalitatis suæ, hoc est, termini, se causantis: censeret itaque illam recipi in subiecto, quod terminum recipit ex vi illius actionis productum. Tum quia Aristot. dicit, actionem esse actum hujus in hoc. Tum quia est identitas actionis cum passione. Tum quia actio eductiva, constituit terminum dependentem à subiecto, ergo debet ipsa recipi in eodem subiecto. Quod actio non recipiatur in agente, benè probat Oviedo, sed quod non possit recipi in termino, sed in subiecto, non convincit, de quo mox. *Hinc*

ASSERO PRIMO. *Actionem antonomastice acceptam, non recipi in causa.*

RATIO. Tum quia ex Aristotele, non est necesse agens ex eo præcisè, quia agit intrinsecè, mutari, mutaretur autem si reciperet actionem. Tum quia vel agit aliquid in agente illa actio, vel non agit: si non agit, ergo in illo non est, quia impossibile actionem esse, & non agere: si agit, ergo non in agente recipitur actio, sed in eo, quod agitur, adeoque in passio. Tum quia si actio reciperetur in ipso agere, quomodo in illo extraneo quidquam operari poterit, influendo esse?

ASSERO SECUNDO. *Non recipi actionem in subiecto, cui unitur terminus productus.*

RATIO. Tum quia impossibile est esse terminum productum sine actione, hoc ipso enim esset, vel nihil, vel quid improductum. Possibile autem est terminum productum, non uniri subiecto. Ergo possibile etiam erit actionem illam, non uniri subiecto, & tamen, cum per se stare, etiam divinitus, non possit, debet recipi in aliquo: Ergo apparet non recipi actionem in subiecto. Tum quia potest assumi creatura, ad creandam materiam, vel Angelum, quæ creatio illius erit actio, vel modalis, vel non sine modo, & tamen non recipietur in subiecto, in quo enim? ergo apparet actionem, non recipi in subiecto. Tum quia actio & effectio verbis differunt; effectio autem videtur esse ratio formalis effectus, non autem ratio formalis subiecto. Ergo non in subiecto recipitur. Per hoc tamen non nego, quod determinatio illa educatur ex materia.

DICES cum Suar. D. 48. S. 4. n. 13. Actio immanens in ea potentia inhaeret, in qua est terminus intrinsecus ejus, & ita, in intellectu manet actio intelligendi.

RESPONDETUR. Actionem intelligendi esse in intellectu, quia nullum est aliud subiectum; nec potest recipi in termino, quia nulla actio vitalis habet à se distinctum terminum. Benè autem potest recipi actio, si illa sit modalitas, si non

sine

sine modo, in termino, quem producit, & non in subiecto, in quo recipitur terminus.

ASSERO TERTIO. *Probabilis esse, actionem recipi in termino producto, seu in effectu.*

RATIO. Tum quia, non recipitur actio in agente, nec in subiecto, ergo in termino, quia cum in aliquo recipi debeat, in nullo alio jam recipi poterit. Tum quia, si actio reciperetur in agente, non esset ratio, cur in extraneo, quod est effectus, operari quidquam possit: ergo etiam, si reciperetur in subiecto, non esset ratio, quomodo effectum operari possit, à quo subiectum distinguitur realiter: & sicut albedo recepta in pariete A, non dealbat parietem B, & si verberetur Paulus, non verberatur Andreas, hoc ipso propter distinctionem realem; ita si actio recipiatur in subiecto, non est quomodo efficiatur per illam effectus, seu terminus, distinctus realiter. Tum quia doctrina est Aristotelis, motum recipi in ipso mobili, hoc autem, quod moveretur tunc, à non esse, ad esse, est ipsemet effectus, seu terminus. Tum quia, si non posset recipi actio in ipso termino, hoc ex eo esset, quia deberet præsupponi terminus actioni, & quia ipse deberet materialiter causare suam actionem, quod dici non potest; sed neutra harum rationum in præfenti militat, quod ipsum probatur, quia præcisum recipi; non fundat causationem, adeoque nec titulum in recipiente antecessionis, quod ipsum probatur, quia anima etiam recipitur in materia, & in corpore, neque tamen hæc receptio, fundat titulum causalitatis in materia. Rursus, actio creativa, posito etiam, quod sit modalis entitas, recipitur in re creata, & tamen nec causat creationem, nec præsupponitur illi. Et certe universaliter receptio, potest esse duplex, in primis receptio in aliquo, tanquam in termino, & receptio in aliquo, tanquam in subiecto; prior illa nec antecessionem recipientis, nec causationem fundat, fundat posterior. Deinde, si quæras, qui hæc duo condistinguantur? ad hoc dici poterit, quod scilicet convenient utrumque in hoc, quod scilicet illis uniatur id, quod recipiunt, sed in hoc distinguantur, quia receptio, tanquam in termino, non depolcit antecessionem termini, & præsuppositionem, depolcit receptio tanquam in subiecto. Rursus, quia receptio tanquam in subiecto, est bonum recepti principale, utpote, quod non habet jus existendi sine hac unione, jam autem receptio, tanquam in termino, est bonum ipsiusmet termini, illa receptione esse & existere acquirentis. Denique, quia receptio in subiecto, est receptio tanquam in causa materiali recepti, jam autem receptio tanquam in termino, est receptio tanquam in causato, & ideo recepto, ut habeat recipiens esse. Tum quia argumenta adlata ab Ovidio, non convincunt, nam illis verbis: Actio, est actus huius, in hoc, etiam nos tueri possumus nostram sententiam, cum enim non agat, nisi

effectum, id in quo recipitur, erit effectus. Quatinus autem sit identitas actionis, cum passione, id verum est, per ly: passio, non intelligendo unionem, sed actionem actam. Posito etiam, quod hic intelligat Aristoteles nomine passionis unionem, non sequitur intentum Ovidii, quia hoc salvabitur, quamvis passio hæc actionis, sit in effectu, non in subiecto recipiente effectum. Quomodo autem actioeductiva constituat terminum, dependentem à subiecto, id jam supra explicatum est, ubi de educatione. Condistinguetur autem adhuc creatio ab educatione, quiaeductio, erit cum influxu causæ materialis, non item creatio, possetque hæc receptio, tanquam in termino, vocari adhesio, inhaesio autem receptio, tanquam in subiecto.

DICES PRIMO ex Mastrio Disp. 7. n. 29. Actio de sua ratione formali subiectum inhaesionis requirit, quia actio quæcunque, non solumeductiva, sed etiam creativa, est propriè accidens, ergo formaliter petit subiectum inhaesionis, per hoc enim distinguitur à substantia.

RESPONDETUR. Subiectum inhaesionis dupliciter accipi potest, pro subiecto, cui unitur ipse terminus productus, & sic ex dictis, falsum est, quod actio etiam titulo accidentis, requirat subiectum inhaesionis: deinde accipi potest, quod sit id, cui unitur actio, & sic indubiè tale subiectum inhaesionis, requirit actio; neque enim potest esse sine termino, & si ponatur modalitas esse, aut non sine modo, indubiè se sola non habet jus existendi, extra modificatum, & hoc subiectum, est terminus.

INSTAT. Ideò actio creativa subiectum non requirit, quia constituit rem independentem à subiecto: ergo, quia actioeductiva constituit rem, à subiecto dependentem, de sua ratione formali exigit subiectum.

RESPONDETUR, quod actioeductiva exigit subiectum, tanquam id, cui unitur terminus suæ productionis, sed non exigit subiectum, tanquam sui immediatè receptivum, unde etiam & actio productiva accidentis, recipitur in termino, licet ipse terminus petat uniri subiecto: cumque divinitus possit illi non uniri, & tamen sine actione conjuncta, nihil fiat, inferendum erit, actionem illam non recipi immediatè in subiecto, sed in termino. Cur autem ille terminus non recauset actionem, dictum supra.

DICES SECUNDO. Actio secundum rationem formalem, non denominat passum agere, quia passum, ut passum, non agit, ergo non subiectatur in ipso: formam enim denominare subiectum, est informare subiectum.

RESPONDETUR. Quod actio, prout est agens, non subiectetur in passio, secus prout est acta, & quia actio acta, & agens sensu adlato, sunt idem, ideò sicut actio acta, non recipitur in agente, ita nec agens, sed profuit ab illo.

† o 3

IN.

INSTAT PRIMO. Forma, quæ extrinsecè denominat aliquid, etiam intrinsecè debet denominare subiectum inhaesionis, ergò actio, ut actio reduplicativè, debeat aliquo pacto denominare passum: quænam igitur erit ista denominatio? certè non denominatio passi, quia hæc est effectus passionis, nec est denominatio conformis naturæ actionis, imò opposita.

RESPONDETUR. Quod actio, qua actio acta denominat passum, extrinsecè autem agentem, quæ etiam denominatio passi, proportionata est actioni actæ.

INSTAT SECUNDO. Sicut album ab albedine, ut à denominante, derivatur; ita agens, quia est denominativum actionis, esse actione affectum, formalissimè erit, esse agens; consequenter, per nos passum, deberet esse agens.

RESPONDETUR. Sicut esse visum est denominatum à visione, tamen visio non recipitur in viso; ita potest esse agens denominatum ab actione, actione in se non recepta: potest tamen ostendi etiam forma intrinseca denominans agens, nempe ipsa vis causandi, licet rationem exercitæ non habeat, nisi in circumstantia effectus, & in hac circumstantia, denominatur agens.

INSTAT TERTIO. Vel istæ formalitates sunt ejusdem rationis, & sic deberet denominare agens actio, non solum causam, sed etiam effectum: vel diversæ rationis, & sic denominatio agentis, non poterit ab his formalitatibus æquè desumi, sed ab una tantum.

RESPONDETUR. Istas formalitates, ob diversos suos respectus, esse diversæ rationis, licet competant uni eidemque entitati physicè spectatæ, & quia receptio est quid physicum, & non secundum formalitates, cum illa entitas sit una, unum etiam subiectum, in quo recipitur, habebit, & hoc subiectum est terminus, licet illa entitas, non prout habet rationem actæ, denominet agens, sed sub formalitate actionis agentis. Quod autem dicit Maffrius, falsò asseri hanc formalitatem actionis actæ, actionem spectare, si procedat hoc sensu, quod scilicet formalitas actionis agentis, non sit formalitas actionis actæ, vera est propositio: si procedat hoc sensu, quod actio acta & agens, non possint ad eandem entitatem, secundum diversas formalitates spectare, hoc ipsum negatur.

DICES TERTIO. Quamvis ponatur actionem recipi in agente, non sequetur illud agens esse patiens, non enim omnis receptio, est in prædicamento passionis, sed solum illa, quæ recipit agens.

RESPONDETUR. Etiam agens, respectu sui, esset agens, in quantum est in se ponens illam actionem, & quamvis receptio non arguat actionem, arguit tamen actio, ubi est, illic se agere.

NOTO. Quod argumentum negativum: non sunt multiplicanda entia, sine necessitate, ostendat, non distinguendas esse actiones illas actas

& agentes, consequenter nec ponendam physicè actionem agentem in agente, ut patuit solutione objectionum: sed etiam id colligitur exinde, quia nullibi ageret actus agens, non in agente, ut conceditur, non in termino, seu passio, quia illic est nonnisi actio acta, huic autem agi convenit, non agere.

De distinctione specifica Actionum.

QUÆRES QUARTO. Undenam actio distinctionem suam specificam sumat?

ASSERO PRIMO. Si agatur de specificatione intrinseca, specificatur Actio, à sua entitate.

RATIO, quia specificatio rei intrinseca, non distinguitur realiter ab ipsamet re specificata, est enim præcisè ipsa connexio prædicatorum essentialium, ergò desumitur ab ipsamet rei entitate.

ASSERO SECUNDO. Specificationem extrinsecam Actionis, desumi etiam à principio Actionis.

RATIO, quia accipit à principio extrinseco entitatem, ergò accipit ab illo specificationem.

Sed ex eone ipso, quia hæc actio est à distincto specie principio, jam erit distincta specie, v.g. ex eone ipso, quia proficiscitur visio ocularis à bove, & visio alia ocularis ab homine, circa idem objectum, visiones hæc erunt distinctæ specie: in quo, affirmativè, sentiendum.

RATIO. Tum quia si nihil obsit, proportionandæ sunt actiones suis principiis, ad quem titulum proportionis semper attendit natura, & cum sit nexus inter actiones & principia, debet etiam esse proportio, sed erunt magis proportionatæ, si distinctorum specie principiorum sint distinctæ futuræ actiones, sequentur enim conditionem principiorum, quæ ipsa inter se distinguuntur specie, nihilque obest, quo minus ponatur hæc proportio, quid enim tale? Tum quia, ponamus potentiam visivam ab anima distingui realiter, vel potentia visiva bovis, erit eadem specie, cum potentia visiva hominis, vel non eadem specie: si eadem specie, ergò non procedit in statu difficultatis, quia hic tractat: an specie distinctarum potentiarum, sint distincti specie, ex hoc præcisè, actus, quia proficiscuntur à potentiis distinctis specie. Si autem sunt potentia diversæ specie, cui usui illas dedisset natura, nisi ad actus specie distinctos? Totum enim bonum potentia, est, illius extententia ad actus specie distinctos, cui usui ergò erit species illarum distincta, si non ponunt actus specie distinctos? Quia autem in nostris principiis potentia identificantur ipsis animabus, quæ sunt distinctæ specie in homine & bove, ideò & actiones visionis ocularis, erunt distinctæ specie. Tum quia, si natura inten-

intendit effectum, quantum fieri potest assimilare passio, in virtute per quam agit. Ergo etiam intendit assimilare, quantum fieri potest in specificatione, ipsosmet actus suis principiis, cum quibus majorem habet connexionem, quam cum ipsis effectibus seu terminis. Tum quia saltem actiones vitales unius, debent distinguere specie ab actionibus vitalibus alius, quamvis versantibus, circa idem objectum. Quod ipsum probatur: quando dicitur connexionem essentiali unum, quam non dicit aliud, illa distinguuntur specie: si enim connexio essentialis hujus actionis, cum hoc termino importat aliam speciem, cur non connexio essentialis, cum hoc principio, importabit eandem. Dicit autem actus vitalis connexionem essentiali cum suo principio. Unde etiam definitur per esse ab intrinseco. Quod autem dicit Suar. Disp. 48. Sect. 3. n. 16. differre actiones vitales à non vitalibus, ex principiis diversarum rationum, non tamen sine ordine ad diversos terminos, id non convincit. Concedo enim etiam ex ordine ad diversos terminos sumi distinctionem, sed restat querere, an etiam à principio sumat speciem actus? si sumit, habemus intentum; si non sumit, restat querere, cur ordo actus vitalis, qui habetur ad terminum, sit specificativus, & non ordo actus vitalis ad principium, per quem adhuc ordinem definitur, non sit illius specificativus. Et sicut ipsa actio non sistit in se, sed pergit, ad terminum, consequenter, & specificativum ab illo desumet, sed cur etiam, cum non sistat in se, tanquam in principio productivo, sed referatur ad principium producens, ex illa referibilitate ad principium producens, distinctum specie, non sumet etiam distinctionem specificam. Tum quia actio illa est modus hujus principii determinativus, Ergo ad hoc principium, essentialiter adstringitur. Tum quia pro nobis videtur esse S. Thom. prima secundæ Q. 1. a. 3. ubi dicit: Speciem sortiri actionem quidem ab actu, qui est principium agendi, passionem verò ab actu, qui est terminus motus: Locus autem, qui citatur, ex quaest. 6. de Potentia art. 8. dicit quidem specificari à termino, & quidem proprie motum, sed non negat specificari etiam à principio in eo ipso, quod sit motus naturalis: vel loquitur S. Thom. de specificativo magis noto.

DICES PRIMO. Si sumitur specificatio à principio, omnes actiones essent ejusdem speciei, quia idem specie principium.

RESPOND. Negand. Sequel. quia est in eodem principio vis producendi actus diversos specie, imbibentes ex vi principii nexum specialem, cum hoc principio, ratione cujus nexus distinguuntur specie, & sic si ponatur visio, quam format homo, nexus quem dicit ad hominem, distinguitur specie, à nexu, qui dicitur ad bo-

vem; licet in hoc nexu, tanquam in ratione generica, conveniat etiam humana visio: posset etiam quis concedere, actiones hominis in ratione actionis hominis, esse specie distinctas ab aliis actionibus, quæ non sunt hominis, licet inter se non distinguantur, in ratione actionis hominis.

INSTABIS PRIMO. Actio licet ab agente procedat, tamen est essentialiter communicatio alicujus esse, & sub ea ratione est via ad suum terminum, via autem essentialiter respicit terminum.

RESPOND. Actio licet sit essentialiter communicatio alicujus esse; tamen si loquamur de vitali, est essentialiter ab intrinseco: ergo ab illo sumet speciem. Directè autem dici potest, hoc argumento probari, quod non sumat etiam à principio.

INSTABIS SECUNDO. Cum motus, duos habeat terminos, nimirum à quo & ad quem, juxta veram Philosophiam, non accipit motus speciem à termino à quo, sed ad quem: at verò ad eundem modum videtur comparari principium agendi, ad suum actum.

RESPOND. Communem Philosophiam hoc solum velle, quod ea, quæ distinguuntur specie, ratione termini ad quem motus, possint proficisci ab eodem termino à quo, nec ratione præcisè termini à quo differre à se, quamvis si unum A quo, ad aliud A quo principio comparentur, inter se differre possint. Et sic differt in moralibus desertio cupiditatis à desertione impatientiæ, & promotio à termino ignobilitatis, ad terminum principatus, à termino principatus ad regalitatem. Quamvis autem terminus à quo non specificaret, diversitas inde peti posset, quia terminus à quo, non est natus influere esse in mobile, proportionareque inevitabiliter, hoc influxu sibi ipsi mobile, cum tamen id sit natum facere ipsum principium, seu agens.

DICES SECUNDO. Cum Suar. citat. n. 10. Generatio & creatio hominis in tantum differunt, in quantum creatio includit effectiorem materiam, & formam ex nihilo. Ergo nec diversitas actionum sumitur ex termino non autem ex principio. Item si Deus annihilaret aliquem Angelum, & eundem postea iterato crearet, tamen illa actio esset ejusdem rationis cum prima creatione, quia sola iteratio non potest sufficere ad specificam diversitatem actionum, consequenter diversitas actionum sumi debet ex diversitate terminorum, non autem principiorum.

RESPOND. Suares ut eundem legenti loco citato constabit, hoc solum velle, quod non fallatur hæc distinctio absque terminis, quod etiam nos non negamus. Ad argumentum quod attinet, nego generationem, tanquam actum vitalem hominis, non differre specie à creatione,

eaque desumibili etiam à principio, seu agente, licet creatio cum nec sit modus, nec involvat modalitatem, non possit in re participare aliquid speciale specificans, desumibile ab ipso principio. Quod attinet ad annihilationem Angeli & reproductionem, non erit illa distincta specie, non solum ob indistinctionem termini, sed etiam ob indistinctionem principii.

INSTAT PRIMO idem. Calefactio facta ab igne, vel facta à Sole, non sunt actiones specie diversa, ob solam diversitatem principiorum, quia licet illa principia sint diversa, tamen non agunt idem, ut diversa sunt, sed quatenus unum, eminenter continet aliud, vel ambo eandem formam: virtus autem eminenter continens aliam, sicut eminenter continet formam ejus, ita & actionem ejus.

RESPONDETUR. Calefactio spectata penes terminum, hoc est, penes calorem, eadem ab utroque producitur, potest enim idem terminus à diversis specie principii produci, & si principia sunt diversa independenter à nostris conceptibus, agunt ut diversa, agunt enim ut sunt, sunt autem diversa: sed calefactio spectata penes principia, calorem illum producentia, est specie distincta. Ex continentia etiam eminenti, pro nobis potius sumitur argumentum, nam continendo eminenter rem producendam, continet continentia distincta specie, quia continentia identificata realiter ultimæ differentia, quæ supponitur, esse specifica. Ergo, si continentia eminenti entis, proportionatur continentia actionis, etiam continentia illius actionis, erit specie distincta, ab aliis continentis, adeoque & actionibus. Quare autem actio specificatur à principio & non terminus, hoc in id principium refertur, quia idem numero effectus potest produci ab alia causa, non tamen eadem actio. Loquimur autem hic ex communi Philosophia de actione, tanquam de aliquo modaliter distincto, accommodando nos communi phrasi. Licet secundum nostra principia loqui debemus de sola illa determinatione modali.

INSTAT SECUNDO idem. Deus non solum potest se solo facere eundem specie calorem, quem facit ignis, sed etiam eandem specie calefactionem. Ergo calefactio, quæ fit à solo Deo, & quæ fit ab igne, cum concursu DEI, non differunt specie.

RESPOND. cum hic calefactionis nomine veniat actio productiva caloris, quæ est modalis vel non sine modo, nego quod eandem calefactionem possit cum igne Deus eundem calorem producere, alias hæc actio productiva caloris, posita ab igne, non esset essentialis determinatio, reddendi ignem producentem.

INSTAT TERTIO idem. Diversa principia ejusdem termini, vel sunt causæ univocæ, vel æquivocæ: vel una univoca, alia æquivoca: Si

sint univocæ causæ, erunt ejusdem rationis cum effectu, consequenter etiam inter se: si vero una causa sit univoca, altera æquivoca, adhuc actio erit ejusdem rationis, quia causa æquivoca agit, ut eminenter continens effectum & actionem causæ univocæ.

RESPOND. Si sint causæ univocæ, inter se comparatæ, cum sint ejusdem speciei, etiam actiones specificationem ab illis sument eandem: si autem comparatæ inter se causæ, sint æquivocæ, in genere agendi, diversâ specie actione agent, & ad specificationem proderit illa continentia, ut jam dixi.

INSTAT QUARTO idem. Incredibile videtur, actionem movendi cælum, fore diversam specie, eò quod fiat ab Angelis specie diversis.

RESPOND. Motus fit ab Angelis per productionem impulsus, tanquam termini producti, nihil autem vetat eundem terminum produci à diversis specie principii, cum hoc tamen stat, ut specie distincta actione, idem impulsus producatur ob rationes adlatas, quia illa actio cum sit modus, vel non sine modo, dicit ordinem, non nisi ad hoc principium distinctum specie.

INSTAT QUINTO idem. Principium agendi si sit univocum, ex sua specie, determinatum est ad talem actionem, tendentem ad talem terminum, si autem sit æquivocum, cum ex se sit universale & indifferens, non potest ab illo sumi determinata species actionis.

RESPOND. Posito, quod agens univocum, sit determinatum ad talem actionem, cur ejus talitas specifica, etiam à principio desumi non poterit, ad quod etiam dicit essentialem ordinem, tanquam ad suum principium; Agens autem æquivocum, nego esse indifferens ad speciem tribuendam suæ actioni; Unde in agente æquivoco, agnoscimus quidem indifferentiam ad hunc vel illum producendum terminum, sed non agnoscimus indifferentiam, ad tribuendam actui speciem, non proportionatam sibi.

DICES TERTIO. Eadem numero actione possunt agere Deus & creatura, item duo principia distincta etiam specie.

RESPOND. eò etiam casu distinguetur specie actio, quæ Deus solus ageret, & quæ Deus & Creatura item distinctam fore actionem, quæ duo principia agunt distincta specie, licet producant eundem effectum.

ASSERO TERTIO. Etiam à terminis specie distinctis sumi distinctionem specificam actionum.

RATIO. Quia unaquæque ex illis alium essentialem ordinem dicit, ob connexionem. Neque enim actione, quæ producitur leo, potest produci homo, immò etiam à subjectis educationis specificantur propter eandem causam.

QUÆRES QUINTO. Quid sentiendum de individuatione actionum. Non est dubium, distin-

distincta numero principia, distinctas numero actiones elicere, distinctos numero terminos, distinctis etiam actionibus produci. Agnoscit tamen Arriaga, distinctos numero terminos, posse produci eadem numero actione: si enim una numero actio, potest proficisci à duobus principiis, cur ab una actione non poterunt produci duo termini? & si unà cognitione attingi possunt plura objecta, cur non possibilis erit una numero actio, dicens ordinem ad duo producenda? Caterum hoc ipsum, quod est duo numero principia exercere, distinctas numero actiones, non excludit, quo minus causæ potissimum subordinatæ, eadem numero actione agant, v. g. Deus & Creatura.

Ceterum posset dicere quisquam, hunc numero terminum potuisse produci, alia numero actione. Tum quia non repugnat, eundem numero terminum, alia numero actione produci, quæ enim in hoc repugnantia? Tum quia sicut ad individuationem termini suo modo determinat Deus, cur non & ad individuationem actionis? Tum quia hoc posito, non sequetur, ut aliqui imaginantur, processus in infinitum in determinationibus, quia licet potuerit non hanc numero actione produci terminus, posito tamen, quod hanc numero actione producatur, ipsa entitas rei determinabit ad individuationem. Accedit negatio aliarum actionum, quæ se solâ, non est sufficiens determinativum, est tamen in circumstantia novæ modalitatis.

QVÆSTIO II.

De divisione efficientis causæ.

Divisiones, quas tradidimus in communi causæ; etiam hic proportionaliter applicari possunt, præter inibi datas.

Dividitur Efficiens causa in causam Univocam & Æquivocam. *Univoca* est, quæ producit effectum ejusdem secum rationis specificæ, ut homo hominem. *Æquivoca* est, quæ producit effectum diversum specie, ut cum sol generat hominem. Rursus, alia est causa eminentialis alia virtualis. *Eminentialis* est, quæ cum sit nobilior effectui, & causâ illius propriâ, habet virtutem illum effectum causandi, sic creaturarum Deus causa est. *Virtualis* verò causa est, quæ effectum producit se nobiliorem, vel virtute alienâ, & ita ignem se nobiliorem producat calor, est causa illius virtualis. Item, causa efficiens alia est Totalis alia Partialis. Causa *Totalis* est, quæ adæquatè concurret: *Partialis*, quæ inadæquatè. Sed quod erit indicium causæ totalis? Quando quæcunque sunt prædicata in effectui, reperiuntur etiam in causa, stante ratione effectus. Rursus, quando causam constat aliundè agere, quandoque nullum est fundamentum aliud, præter hoc, ponendi principium, illa causa

est totalis, non pono sufficientiam causæ in sola continentia prædicatorum, quia causa Univoca continet prædicata effectus, & tamen indiget concursu Dei: addidi hæc prædicata debere esse stante ratione effectus, quia certè nullum est prædicatum in Deo, quod respondeat prædicato, quod est, esse Creatum. Nullum item est prædicatum in igne A. producente ignem B. nullum, inquam, est prædicatum producti & dependentis ab igne A. aliàs seipsum produceret, & tamen quæcunque prædicata reperiuntur eminentè in Deo, licet stante ratione effectus nonnisi in Creatura, & quæcunque prædicata ignis B. reperiuntur in igne A. stante prædicato effectus nonnisi in igne B. *Addidi*, debere aliundè constare, quod illa causa agat, quia v. g. quando ignis A. producit ignem B. ignis C. habet omnia prædicata, quæ habet ignis B. staretque in igne B. prædicatum effectus, si illum produceret ignis C. quia tamen non constat aliunde ignem C. egisse, non dicitur esse causa illius totalis ignis C. Addidi denique negativum fundamentum, si scilicet aliundè non urgeat necessitas ponendi aliud principium, & sic quamvis habeat prædicata, filix, Mater, est necesse ponere insuper causam filix, Patrem.

Rursus dividitur causa in *Principalem*, & *Instrumentalem*, & si causæ instrumentalis nomine veniat sola causa, quæ non est à se, quo sensu omnia creata appellantur instrumenta Dei, nulla est in illa explicanda difficultas; sed, si accipiat, prout opponitur causæ principali antonomastice dictæ, patitur difficultatem ex eo, quia multa sunt instrumenta, quæ vix analogicè & in ratione entis conveniunt.

Porro, alia sunt instrumenta artis, alia gratiæ, alia naturæ. *Instrumenta artis* alia sunt, quæ & efficit ars & illis utitur, ut malleus; alia quæ non efficit, & tamen illis utitur, ut magnes trahens columbam Architectæ. *Instrumenta gratiæ* sunt Sacramenta. *Instrumenta naturæ*, nempe causæ Naturales, quæ & esse à natura, & operari effectus naturales habent. Rursus, hæc instrumenta naturalia quædam sunt *conjuncta principali agenti*, quædam *separata*, & quidem quædam ita sunt separata, ut aliquando fuerint principali conjuncta, ut sunt semina quædam, alia autem ita separata ut nunquā fuerint conjuncta, ut qualitates, quæ sunt instrumenta generatorum ex putri. *Ex conjunctis* alia sunt, quæ nec esse nec operari proximè possunt, nisi conjuncta, & sic oculus operari non potest proximè, absente suo principali, hoc est, animâ. Alia autem conjuncta sunt, quæ esse quidem sine principali æquè, ut cum principali, operari tamen non possunt, quales sunt fides respectu Musici.

Denique instrumenta, tam artis, quàm naturæ, sunt alia, quibus, ut operentur, est *necesse imprimi aliquid*, ut impulsus fidibus, ovis item, quæ

quæ sunt instrumenta gallinæ imprimitur calor prolificus: alia autem sunt, quibus nihil imprimitur, ut v. g. magneti ad cauſandos effectus artis, calori respectu cauſandi ignis.

Cauſæ etiam principales sunt non pauca, non tantum uniuoca, sed etiam æquiuoca. Deus respectu passionum, potentia respectu actuum, sunt cauſæ æquiuocæ, quæ omnia, variis locis perstringuntur.

QVÆSTIO III.

De efficientibus cauſis aliquibus in particulari.

OMnia efficientia, in particulari numerare, non est huius vitæ, nullum enim est Ens, quod suam efficientiam non habeat, saltem emanativam. Attingentur nonnisi ea efficientia, quæ in considerationem accepit Schola.

DIFFICULTAS I.

Quid efficiens Principale & Instrumentale?

EXPLICAT PRIMO Suar. & cum eo Arriag. D. 11. Sect. 3. quod cauſa instrumentalis sit ea, quæ concurrat ad Effectum se nobiliorem. Cauſa autem Principalis, quæ concurrat ad effectum, vel ignobiliorem, vel æqualem.

Hæc Explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia possibile est assumi à DEO, Angelum ad creandum Angelum, vel æqualem, vel se ignobiliorem, quo casu ille Angelus esset cauſa instrumentalis ad creandum, quod etiam contingeret, si assumatur creatura tanquam instrumentum obedientiale, ad aliquid æque perfectum producendum. Ergo apparet, de ratione instrumenti non esse producere nobiliorem se effectum. Tum quia per nobiliorem effectum, vel intelligitur nobilior, quoad ordinem, vel nobilior, quoad speciem effectus: si primum; Contra erit, quia homo adiutus lumine gloriæ, est cauſa principalis visionis beatificæ, in quantum illa est actus vitalis, & tamen quoad ordinem nobiliorem se, producit effectum, quia illa vitalitas, est eadem entitas cum supernaturalitate, quæ est ordine nobilior. Rursus unio hypostatica censetur, à multis esse instrumentum nostræ salutis, & tamen nostra salus, ignobilior est unione hypostatica. Si secundum; Contra erit, quia ex vi explicationis, sequitur Creaturam non posse assumi tanquam instrumentum, ad effectum se ignobiliorem, nec aquam ad producendam gratiam, quia gratia utpotè accidens, quoad speciem, est imperfectior aqua. Tum quia, mulus est quid imperfectius alino, respectu cuius alinus, est principalis cauſa.

EXPLICAT SECUNDO Hurtad. & Vafq. Cauſam instrumentalem illam esse, cui in effectum, nulla respondet formalitas, principalem autem, cui respondet.

Hæc Explicatio.

NON SATISFACIT. Tum quia cauſa instrumentalis, vel est ens, vel non est ens: Si non est ens, ergo neque est cauſa instrumentalis: quod si cauſa instrumentalis est Ens; effectus vel est ens, vel non est ens: Si est ens, ergo id prædicatum, quod cauſa instrumentalis cauſat, reperiri potest in instrumentali cauſa; Si non est ens, ergo neque est effectus. Tum quia, si Angelos possibile est, numero esse distinctos, posset alius Angelus assumi, ut instrumentum ad producendum alium Angelum, numero distinctum, & tamen productus haberet omnes formalitates producti, exceptâ sola individuatione, immò & assumptus ad productionem Angelus superioris, haberet in illo respondentem formalitatem, substantiæ spiritualis completæ, in se etiam reperibilem. Tum quia, posset creatura assumi, ut instrumentum ad productionem replicativam sui, & tamen tunc vel maxime responderet formalitas similis, quia eadem, quod etiam procedit de replicatione sibi similis.

EXPLICAT TERTIO Lugo de Sacr. D. 4. Sect. 5. n. 97. & dicit: Cauſam instrumentalem esse, quæ non operatur per propriam virtutem, sed ab extrinseco acceptam.

Hæc Explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia, hoc ipsum explicandum fuisset, quid sit operari per virtutem ab extrinseco acceptam: cum enim omnia sint producta, omnia debent habere vim ab extrinseco productam, & si per ly extrinsecum intelligatur distinctum, non nisi realiter, tunc Filius æternus, erit instrumentum Patris ad productionem Spiritus Sancti, quia ab illo communicat sibi vi producit eundem. Tum quia, si non dantur, saltem non implicant instrumenta naturâ suâ talia, adeoque seipsis instrumenta, consequenter non ab extrinseco accepta virtute. Tum quia in generatione imperfectorum animantium ex putri, qualitates intermedie verè sunt instrumenta, naturâ tamen suâ, & non acceptâ aliunde, seu à principali virtute, concurrunt. Tum quia impulsus est vera cauſa instrumentalis soni, & tamen saltem ad reddendum rudem sonum, non accipit virtutem à musico, nisi acceptione, quâ etiam principalia à DEO & suis cauſis accipiunt virtutem. Tum quia, quod est seipso virtus, non potest habere ab extrinseco virtutem, sicut quod est seipso actio, ab alio esse actionis, non accipit, semen autem, v. g. seipso est virtus, calor seipso est virtus calefaciendi, quid enim ratio virtutis superaddit semini vel calori, & tamen semen,

semen, verè est instrumentum, & calor, respectu substantiæ ignis, quem producit; Ergò de ratione instrumenti non est, habere ab extrinseco acceptam virtutem.

EXPLICATUR QUARTO. *Causam principalem esse, quæ naturâ suâ habet proportionem cum effectu, instrumentalem, quæ non habet. Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia hoc ipsum explicandum est, in quo stet ista proportio, & cur impulsus ad sonum, non habeat proportionem, habeat autem musicus. Tum quia, si per proportionem intelligitur habere vim sufficientem, cur etiam istam vim sufficientem non habent, accidentia, respectu genitorum ex putri, & cur habent sufficientem virtutem creaturæ, quæ tamen indigent concursu Divino, quamvis sint causæ principales. Multa principalia agentia, sine dispositionibus, non habent vim sufficientem agendi: item dantur duæ concausæ principales, quarum neutra habet vim sufficientem ad producendum effectum, ut cum duo equi idem pondus trahunt. Tum quia, si per improportionem intelligatur, quòd scilicet indigeat causâ perfectiori, cum qua producat causa instrumentalis effectum, tunc si elephas & asinus idem pondus trahant, non erit uterque causa principalis, quia ad invicem consortio indigent, elephasque est perfectior. Addo non implicari dari duas causas principales, unam imperfectiorem aliâ substantialiter.

EXPLICATUR QUINTO. *Causam instrumentalem eam esse, quæ non agit in bonum & finem suum, vel bonum debita sibi actionis. E contra causam principalem est, quæ ita agit.* Hinc, v.g. homo generans hominem, est causa principalis, si autem malleus producat alium malleum, non est causa principalis, quia non est sibi debita sua actio, sed artificii. Quod si Angelus producat alium Angelum, erit etiam causa instrumentalis, quia producere alium Angelum, non est illi debita actio.

RATIO Explicationis est in primis auctoritas Aristotelis, qui primo Polit. cap. 3. postquam dixisset, servum esse animatum instrumentum Domini, censet illum omnia agere in bonum Domini; idem habet S. Thom. Prima Parte q. 62. a. 1. in O. Tum quia hæc explicatio, convenit omni, soli & semper: convenit omni, certum enim est, quod causæ principales Univocæ agunt in bonum & finem suum, quia agentis ille finis est, ultra quem non potest, & in quem ultimo potest, quo acquisito cessat, quo non acquisito actionem, quantum potest continuat, & id videmus, dum ignis conatur generare ignem, quo genito cessat. Causæ etiam principales æquivocæ agunt in bonum & finem suum, cum enim anima intelligendo fiat omnia, adeoque & ideas habendo, fiat idea, producere simile ideæ, est agere in bonum & finem suum. Quod si causæ æquivocæ,

non agunt ex idea, ut cum substantiæ emanant passionem, vel producant actus, agunt tamen in bonum & finem suum, bonum enim substantiæ, sunt passionem, & finis potentia, actus. Quomodo autem cæli & astræ, quæ respectu influentiarum, sunt causæ principales, agant in bonum & finem suum, sic potest explicari, negando scilicet illas agere, ut causas particulares principales, sed ut causas universales, quæ agere non debent, in bonum & finem suum, sed in bonum universi. Neque tamen inde sequitur, ipsas influentias esse causas principales, quia influentia, sunt causarum universalium virtutes, hoc tamen benè poterit dici, quod sint causæ principales respectu siccitatis, caloris, &c.

Hæc etiam explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia species causarum universalium, sunt causæ principales particulares, & hæc agunt in proprium bonum; & aliæ sunt causæ principales universales, hæc non agunt in bonum proprium, sed alienum: ergò debet dari conceptus communis utrique huic causæ, qui jam non potest esse agere in bonum proprium, cum id non conveniat causæ universali principali, & si alienitas boni universalis, potest stare cum causæ principalitate, cur alienitas boni particularis, stare non poterit. Tum quia quamvis causæ æquivocæ producentes has passionem & actus, agant in bonum & finem suum, non tamen apparet, quomodo agant in bonum & finem suum, in quantum producant distinctos à se effectus, respectu etiam quorum habent rationem causæ principalis, & non tantum respectu actuum suorum & passionum. Tum quia hoc ipsum explicandum venit, quid sit agere in finem proprium, & sibi debita actione, & cur instrumenta generandorum ex putri, pro fine, non habeant genitum ex putri, cum finis rei, vel maxime illud sit, ad quod aliquid ordinatur à natura, ut illa accidentia ordinantur ad generanda ex putri. Cur item non sit finis & bonum caloris proprium, & secundum debitam illi actionem generare ignem, cum, ut dixi, deputeretur ad hoc à natura; cur item non sit bonum, & debita actio magneti atrahere columbam Architæ, & tamen magnes, tunc est instrumentum artis. Tum quia hæc duo ly agere in finem suum, & ly in bonum sibi debita actionis, vel debent simul sumi, vel divisim: Si divisim, verè accidens in generatione substantiæ, erit causa principalis, est enim illi debita actio, illa generatio substantiarum: Si simul, ergò cum potentia producat actus, non est causa principalis, quomodo enim actio, est bonum debita actionis. Qui ipse medius terminus, sic aliter proponitur. Bonum proprium, & finis causæ instrumentalis, est deservire principali, principale etiam habet bonum proprium & finem, & utrumque habet debitam sibi

sibi actionem: quo ergo discernetur bonum illud proprium, quod est instrumenti, à bono proprio quod non est instrumenti, illudque potius erit definitivum utriusque. Tum quia quando principale debet agere in bonum & finem suum, vel debet agere in similitudinem naturæ, vel tantum in id, ad quod ordinatur: Si in similitudinem naturæ, architectus, non erit causa principalis domus, quia domus & idea, cui assimilatur domus, non sunt similia in natura, hæc enim est spiritualis, illa materialis. Quod si sufficit agere id, ad quod ordinatur, tunc etiam Sacramenta, non erunt causa instrumentalis gratiæ vel salutis, ordinantur enim ex sua habitudine, ad producendam gratiam, & causandam salutem, cum non sit necesse ex natura sua ad hoc ordinari, aliàs nulla essent instrumenta attis. *Hinc aliter*

NON INCOMMUNE EXPLICARI POSSUNT CAUSÆ DICTÆ. Quod causa principalis sit, quæ respectu effectus habet se, ut quid primò & per se intentum. Instrumentalis autem illa est, quæ respectu effectus non est primò & per se intentum. Quod ipsum sic explanatur. Omne agens, aut agit ex intentione propria, aut agit ex intentione alterius accepta: rigorosa intentio convenit intellectualibus, quæ autem intellectualia non sunt, bonum quidem appetunt, sed ex rigorosa intentione non agunt, ut communior est sensus.

Porrò agendo ex intentione, seu propter finem, agunt ex intentione acquirendi boni; bonum enim est id, quod finalisat, & quia agere ex intentione finis independenter à mediis non possunt, agendo propter finem, requirunt media. In istis autem, quæ ex rigorosa intentione finis non agunt, nec usurpare possunt media sub formalitate mediocrum, ordo, qui fit per intentionem propriam, spectatur penes ordinem, quem Deus, ut auctor naturæ, adeoque natura facit. Jam autem ipsa media, sunt aliqua primò & per se intentia, aliqua nonnisi ex secunda intentione; hæc ergo, quæ nonnisi ex secunda intentione assumuntur, instrumenta sunt, quæ autem primò & per se ad ponendum effectum assumuntur, sunt causæ principales.

Ratio bonitatis explicationis est. Tum quia ad ipsum nomen principalis rectè respicit terminus in definitione positus: primò, & per se. Jam autem in explicationibus rerum, etiam ad ipsas voces attendendum est, nè simpliciter improporionata tradatur explicatio. Tum quia ipsa inductio ostendit bonitatem explicationis, explicatque illud ipsum, quid sit primò, & per se intenti, ita, ut habere se ita, sicut se habent inferiùs ponenda, tanquam manifestiora, sit primò, vel non primò intenti: sic in generatione univoca ignis B. primò, & per se intentum, est ignis: sed quia ad generationem ignis veniri commode non potest sine dispositionibus, calore,

siccitate &c. fit, ut hæc, ex secunda intentione assumantur, sintque causæ instrumentales. Rursus in ædificatione domus, primò, & per se requiritur ædicator, quæ ædificatio, quia perfici non potest artificialiter sine idea, assumitur ex secunda intentione idea, quæ est instrumentum. Item prima intentio est DEI, facere justum, quod sine Deo, tanquam speciali agente, fieri non potest; & quia hoc vult facere, per aliquid permanens, ex secunda intentione assumit gratiam, quæ est causa instrumentalis, justificationis. Tum quia, si ex rudi quærat, quid sit causa principalis mallei, faber, an malleus? ægrè se extricabit: si autem quærat, quid prius & magis requiratur ad fabricandum malleum, malleusne an faber, non hæsitante respondet, Fabrum, ab ipso enim mallei motus est, & tamen faber causa principalis est. Ergò apparet notificationem hanc, utpotè omnibus innotam, causæ principalis, commodam esse.

ADDO. Cum effectus & causa sint correlativa, sicut dantur causæ, quæ respectu effectuum primò, & per se intentæ sunt, ita dantur & effectus primò & per se intenti; & sic quia in generatione ignis B. primò & per se intentum ab igne A. erit ignis B. hinc ignis A. erit causa principalis, quia verò respectu accidentium primò & per se intentum, non est ignis B. sed sola dispositio alteratio, idèò accidentia respectu dispositionum sunt causæ principales, respectu autem ignis accidentia, non sunt nisi causæ instrumentales.

DIFFICULTAS II.

Quid causa immediatè efficiens substantiarum?

CONTOVERTITUR in Philosophia: An substantia producat immediatè substantiam, an mediis accidentibus? Negant Thomistæ, à substantia immediatè produci substantiam, & ex nostris Fons. Suar. Valsq. affirmant Scotistæ, Arriag. Ovied. recentior Suar.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

DICENDUM EST PRIMÒ. Possibile esse, ut accidentia, tanquam causæ instrumentales, immediatè producant substantiam, idèz, naturaliter.

PROBATUR unico argumento, quia non implicat contradictionem, dari tale accidens, quod ex vi principiorum suorum naturalium possit, tanquam instrumentum, deservire substantiæ, ad producendam aliam substantiam. Addit Ovied. Si dantur substantiæ, quæ neque inadæquatè aliam producant, ut Angeli, cur dari non poterunt, quæ saltem inadæquatè producant.

Or.

OBJICITUR PRIMÒ. Res ignobilior & imperfectior non potest producere nobiliorem effectum. Accidens est quid ignobilius.

RESPOND. Arriag. Neg. maiorem, quia species impressa, & lumen gloriæ, producit cognitionem, quæ est nobilior, est enim actus, est quid vitale, &c. Rursus quamvis res ignobilior univocè agens, non possit nobiliorem producere effectum, idque tanquam causa principalis; secus, si non agat univocè, & agat tanquam causa instrumentalis, sufficitque continentia in virtute sine titulo æqualitatis in Entitate.

INSTAT PRIMÒ Maffius Disp. 7. n. 90. Omnis universaliter causa debet esse perfectior suo effectui, aliàs posset dici totum Universum, esse à musca productum, nec ex causatione primæ causæ, argueretur infinita perfectio in ipsa.

RESPONDETUR. Non potest tribui Universi productio muscæ, quia multa in Universo indigent creati, quæ non spectant ad museam. Rursus, vel esset illa causa principalis, & hoc non, quia illa debet præcontinere in se perfectionem effectus, quæ præcontinentia muscæ, tam imperfecto enti non convenit: non etiam illa musca, est causa instrumentalis, quia nec ad hoc ordinatur à natura, ut videlicet generet hominem, unde enim hoc colligis? nec scitur aliunde, ad hoc illam esse assumptam à Deo, si autem caulatur à causa prima, colligetur adhuc infinita perfectio in illa, quia colligetur ratio entis à se, ratio illimitati, &c. quæ omnia nectunt se cum infinitudinem; nec Deo tribui potest ratio causæ instrumentalis, sed tantum causæ principalis, adeoque præcontinentiæ effectus.

INSTAT SECUNDÒ. Causa univoca habet in se effectum, ut adæquatum in perfectione suæ potentie, ergo causa æquivoca, si est imperfectior univocæ, non potest in se continere illum effectum, ut terminum suæ potentie adæquatum.

RESPONDETUR. Inprimis falsum esse, causam æquivocam esse imperfectiorem univocæ, universaliter etiam hanc perfectionem concessâ, si causa univoca est contentiva effectus, causa æquivoca non poterit esse contentiva illius effectus, si sit causa instrumentalis, secus si sit causa principalis.

INSTAT TERTIÒ. Si forma causæ æquivocæ daretur esse formaliter alicui, non potest dare esse perfectius se ipsâ, quia nemo dat, quod non habet, ergo nec effectiva.

RESPONDETUR. Causa æquivoca principalis, non potest dare esse perfectius se ipsâ; secus si sit causa instrumentalis: aget enim in virtute principalis, præcontinentis illum effectum.

INSTAT QUARTÒ. Posset effectus productus saltem ab intellectu dividi in duos gradus perfectionis, in illum in quo convenit cum causa, & in illum in quo excedit causam. Hic secundus nequit à causa produci, quia nemo dat,

quod nullò modò habet, ergo erit improducibile, quod est falsum.

RESPONDETUR. In illo, in quo effectus excedit causam, nequibit ille produci à causa æquivoca, tanquam causa principali. Ex eo autem, quod causa ita se habeat in operari, sicut in esse, solum sequitur, quod causæ æquivocæ principaliter operanti, debeat convenire præcontinentia effectus.

INSTAT QUINTO. Quia accidens quod est imperfectius, & est causa æquivoca instrumentalis ad productionem substantiæ, non aliter est virtus & instrumentum, nisi quia accidens dicit entitatem, cum illo subordinationis ordine, & habitudine ad substantiam, cuius est virtus; ista autem subordinatio non augeat virtutem activam accidentis, sicut nec perfectiorem reddit ipsam entitatem, cum sit merus respectus, parumque accidenti prodest, quod agat nomine substantiæ, si vires ei actualiter non suppeditat ad agendum, quantum sufficit ad productionem substantiæ.

RESPONDETUR. Accidens, esse virtutem substantiæ, nec dicit habitudinem & subordinationem accidentis ad substantiam utcumque, sed subordinationem in linea agendi, adeoque suæ virtutis operativæ, acceptæ ab illa substantia, ut agat substantiam se perfectiorem. Et hæc quidem subordinatio, non augeat virtutem, supponit tamen illam à substantia, cuius est virtus, acceptam, nec est illa virtus merus respectus, sed fundamentum respectus, suppeditatque illi vires actualiter, non quidem de novo superadditas, sed inclusas in natura ipsius accidentis, quas ipsas accipit ab illa substantia, cuius virtus est. Unde falsum est, nihil virtutis in accidens à substantia derivari, cuius substantiæ illud accidens est virtus; quia derivatio illa, est ipsa acceptio entitatis, naturæ hoc præstare, & quod hoc præstare non possit, non evincit argumentum.

Hinc si quæretur: Quid sit, accidentia esse virtutem substantiæ, nihil aliud erit nisi accidentia habere entitatem ordinatam à natura, ut similem substantiam producant, ei substantiæ, cuius sunt virtus, non indigendo æquali perfectione cum substantia producenda, modo substantia, cuius illa accidentia sunt virtus, æqualem habeat perfectionem.

OBJICITUR SECUNDÒ. Accidens non potest, tanquam principale agens, producere aliam substantiam. Ergo neque tanquam instrumentum.

RESPOND. conformiter ad dicta, Accidens non potest habere in generatione substantiæ rationem causæ principalis, quia non potest habere rationem primò & per se intenti, respectu effectus, itidem primò & per se intenti, sed tantum potest habere rationem secundariò intenti. Quod ipsum probatur, quia in generatione ignis, ab alio igne, intendit natura primò & per se

† p

pro-

propagationem similis substantiæ: si intendit primò & per se propagationem similis substantiæ, intendit primò & per se substantiam generatam, quia propagata substantia similis, non est similis nisi substantiæ. Cum ergò accidens, non sit substantia, primò & per se in propagatione similis substantiæ, intendi non potest, sed tantum ex secundaria intentione, quia scilicet intendens natura, primò & per se, propagationem similis substantiæ, cum prævideret subjectum, in quo peragenda esset generatio substantiæ ignis, non fore proximum & immediatum semper, providit illi vicarium, ad perficiendam generationem. Unde, ut vides, hoc quod est primò & per se intendi, in quibusdam est similitudo in specie, in quibusdam non; ita tamen, ut omnia conveniant in illa ratione communi, sicut aliud est sensitivum Rugitivè, aliud Mugitivè, omnia tamen conveniunt, in ratione generica viventis sensitivi.

OBJICITUR TERTIÒ. Tale accidens immediate per modum instrumenti productivum substantiarum, & operaretur illas propriâ virtute, & non operaretur propriâ virtute: hoc autem implicat, non operaretur propriâ virtute, ut supponitur, operaretur autem propriâ virtute, quia operaretur sibi identificatâ virtute. Et certè, si accidens non operaretur propriâ & sibi identificatâ virtute, virtus illa superaddita, vel esset substantia, vel accidens: si substantia, ergò adhuc immediate substantia substantiam produceret; si autem illa virtus esset accidens, vel illa ipsâ propriâ virtute operaretur, vel non propria, si propria, ergò & prius illud propria virtute operari potest, si autem non propria, dabitur processus in infinitum.

RESPOND. In hoc solo non operantur virtute propriâ Accidentia substantias, quia non operantur cum virtute, primò & per se intenta, operantur autem propriâ, hoc est, non superadditâ virtute, sed ex tali proprio & improprio non coalescit recta contradictio, adeoque nec inferitur impossibilitas talis causalitatis.

DICENDUM EST SECUNDÒ. De facto etiam substantias immediate produci ab accidentibus.

PROBATUR PRIMÒ directè contra Modalistas, negantes dari de facto accidens, quòd producere possit immediate substantiam. Falsa est hæc universalis. Nullum accidens de facto caulat immediate substantiam, ergò debet esse vera hæc alia contradictoria: Aliquod accidens de facto caulat immediate substantiam. Antec. probatur. Actio substantiæ est accidens per Modalistas, & de facto caulat substantiam, ergò universalis illa: Nullum accidens de facto caulat immediate substantiam, falsa est, ex quo ulterius sic arguitur: Accidens, quod non est ratum, potest esse ratio causandi & causalitas, ut Quo substantiæ, & non obstante ratione accidentis, potest immediate de facto influere

in substantiam, ergò & accidenti ratio, ratio accidentis non officiet, quo minus de facto immediate influat in substantiam.

RESPOND. Disparem esse Rationem, de Actione, quia actio est ratio agendi, & id quò exercet vim suam causandi, substantia.

CONTRA id quod est ratio agendi, id per quod exercet vim suam causandi substantia, non officit de facto ratio accidenti, quo minus immediate agat in substantiam. Ergo nec officiet accidenti ratio præcisa ratio accidentis, & licet universaliter à modis, vel quæ sunt non sine modo, non teneat consequentia, tamen valet, quando convenitur in eadem ratione communi, de qua est disceptatio. Et tamen ab oppositis pro principio assumitur ipsa ratio accidentis, tanquam improprium ad agendum immediate in substantiam; & certè sicut ablatâ actione, quæ non est sine modo accidentali, non relinquitur ratio agendi, quam tamen aliunde constat debere dari, ita nisi tribuatur vis agendi substantias nomine substantiarum, reperibilis in accidentibus, non relinquitur modus salvandi, quod sit productivum substantiarum, quod tamen dari constat, vel ex ipsa illarum productione.

PROBATUR SECUNDÒ. Si non habent accidentia vim de facto producendi substantias, nomine & virtute substantiarum, quando ab igne A. generatur ignis B. in ligno aliquantulum remoto C. ubi est C. vel est substantia ignis A. vel substantialis ejus virtus, vel aliquid accidentale: Non primum; quia aliàs lignum C. non supponeretur esse remotum, vel si est etiam ignis illic A. ergò est in duplici loco adæquato, in suo, & in loco ligni C. remoto; Non etiam secundum, quia si esset illic aliquid substantiale, ignis A. esset virtus illius substantialis, hæc illic non est. Quia virtus substantialis ignitiva, est identificata realiter ipsimet igni, sicut & aliæ virtutes suis principiis, potentiaq; animabus; & quamvis essent distinctæ realiter, non essent transmissibiles, sed unibiles, non nisi principio suo, à quo per emanationem educuntur; Non etiam tertium, quia haberetur intentum, nempe ab accidentali virtute produci illam substantiam.

Supponit hoc argumentum, quòd nihil operetur ibi, ubi non est, vel in se, vel in aliquo sui; si autem est non nisi in aliquo sui, illic operatur, non nisi in aliquo sui, cum in illo loco quoad se, ita se habeat, ac si in rerum natura non esset, quod si in aliquo illo sui operatur, cum illud aliquid illius, non sit nisi accidens, hoc est calor, in illo accidenti, immediate operabitur ignem B. quod intendit Conclusio.

PROBATUR TERTIÒ Experiētiis. PRIMA sit EXPERIENTIA de generatione posthumi. Quando generatur posthumus, vel influit tunc substantia Patris, vel non influit; si non influit, ergò

ergo sola substantia matris, est causa illius, estq; filius ille & non ex Patre, & licet verum sit, quod dicit recentior Suar. Substantiam Matris assistere genito, quia tamen non sola mater concurrir, salvandus erit concursus alius principii substantialis, nempe Patris: si autem influit in posthumum substantia Patris, vel influit in se, vel in aliquo sui: non in se; supponitur enim mortuus, ergo in aliquo sui; si in aliquo sui, vel est substantiale, vel accidentale; non substantiale, quia forma substantialis seminis ob alterationem cedere debet, omne autem aliud substantiale, quod sit præter materiam seminis, fictitium est. Ergo Pater in aliquo sui, quod est accidentale, operari debet.

Quod autem adfert Pontius, in causas circumstantes generationem referri debere, ipsum produci, corporis animati, & quod dicit, ab equo non generari immediate equum, sed tantum produci dispositiones, quæ exigunt productionem animæ equi; hoc etiam non satisfacit, quia sine necessitate ponit similem generationem equi, e. g. & hominis, cum utriusq; animæ productionem referat non in dationem existentia ipsi formæ, provenientem à generante, sed in productionem aliunde, non nisi ad exigentiam dispositionum, sed hoc etiam positò, non posset ostendere Pontius, quodnam sit productivum immediatum substantiarum, non dando accidentibus vim immediate producendi substantias.

SECUNDA EXPERIENTIA est de igne producto in remoto ligno, quæ jam supra posita.

TERTIA EXPERIENTIA est, In generatione ranæ, & aliorum ex putri, nulla potest ostendi substantia, quæ immediate influat, quia non est substantia alius ranæ vel vermibus, ut clarum est, hoc enim ipso non generantur ex putri, non etiam ipse Deus immediate influit, ut voluit Arriaga. Tum quia effectuum naturalium causas naturales assignare debemus, nec recurrere ad Deum, si nihil obstat; nihil autem obest accidentibus, tribuere vim producendi substantias, cum id possibile esse, agnoscat ipse Arriaga. Tum quia sequeretur, Deum specialem esse patrem ranarum, quod ipsum probatur. Ideo respectu Filii æterni, æternus Pater Pater est, quia respectu Filii nullum aliud principium substantiale generativum concurrir, & ipsa ejus productio, nativitas est, eò quod nativitas sit generatio viventium, hoc autem totum verificaretur de genitis ex putri. Ut robor hujus argumenti pensetur, inquirendum est, quæ nam sit causa genitorum ex putri, eaque principalis?

RESPONDENT aliqui: Genitorum ex putri, causam principalem esse speciem & naturam ranarum totam.

CONTRA erit, quia species ranarum, vel

est ratio abstracta, ut sic ranarum, & hæc utpotè formalitas Metaphysica, non potest habere rationem causæ Physicæ; vel est non aliud, quam omnes individua ranæ convenientes in prædicato ranæ. Ergo si species, seu omnia individua, sunt causa illius ranæ, etiam illa rana genita, utpotè aliquod individuum, erit causa sui ipsius.

RESPONDENT alii. Causam principalem genitorum ex putri, esse aliquod individuum indeterminatum, possibiliter præexistens. Unde prima rana habebat causam principalem aliam, quæ possibiliter præexistisset, & hæc aliam, si producta fuisset: & quia infinita sunt, non deveniretur, quin alia aliam causam principalem habere posset; quamvis autem rei indeterminata & non existenti, non debeat tribui effectio rei determinata, si in aliquo sui non existat, secus tamen si existat in aliquo sui, nempe in vicariis accidentibus, nec frustra dabitur ei virtus, quod nunquam existet, quia dantur etiam gratia sufficientes ad meritum, quod existere posset, nunquam extititum est. Nec sequetur, quod nulla sint danda causa equivoca, si etiam ex putri genito habeant suam causam principalem, verè enim adhuc erit causa equivoca Deus, respectu creaturarum, lux respectu caloris, materia respectu formæ.

CONTRA erit. Tum quia accipio, omnes ranas posibles, & de singulis simul tamen, nullam exceptam, quæro, an singula habeant causam aliam, & aliam ranam præexistentem possibiliter, si non habent, non respondes ad difficultatem, universaliter enim quæritur; Si habent, contra erit, in tota collectione entium ab alio devenire est ad unum, quod non est ab alio, ut noscitur, dum demonstratur Dei existentia. Ergo & in tota possibilitate ranarum præexistentium ab alio, devenire erit ad unam, quæ non sit ab alia rana possibiliter præexistente. Tum quia accipimus ranam B. genitam, virtus illius productiva sunt accidentia, quæ ipsa vel determinat sibi individuum, vel non determinat: si determinat, Ergo immerito causa istorum dicitur aliquod indeterminatum individuum; si non determinat, hoc ipsum improbabiliissimum est, quomodo determinata causatio, non sit determinati causantis, sicut determinata scriptio, determinat sibi calamus. Tum quia respectu intellectus Divini non datur individuum vagum, circa objectum habens actionem determinatam; videbit ergo Deus ranam, cui illa virtus debeatur.

RESPONDENT alii. Quod genitorum ex putri, nulla sit causa principalis univoca, sed causam equivocam esse Deum, Solem, &c. Neq; inde sequitur, esse ranas specialiter filios Dei, vel natas ex Deo, non enim producuntur in similitudinem naturæ; nec dicendum est, respectu illarum Deum æquè se habere, ac respectu hu-

manitatis Christi, quia respectu illius supplevit concursum Patris, respectu autem ranarum nihil supplet, quia illud suppleri dicitur, quod est, vel fuit, vel erit. Hinc non supplet Magister vices alius professoris, qui nec est, nec fuit, nec erit, influxus autem causæ univocæ, erga ranas nec est, nec fuit, nec erit, eo quod nec ratio, nec experientia, tribuat illis vim generandi sibi simile. Unde, quia videmus generari ignem ab alio igne, si non ab igne, vel virtute ignis generetur ignis de novo, tunc supplet Deus causalitatem ignis, estque specialis illius causa: & licet ad Deum recurrere, non sit Philosophicum, si alia causa assignari possit, jam autem causa univoca nulla potest assignari genitorum ex putri, hinc ad Solem & ad Deum, tanquam auctorem naturæ, recurrendum erit, cum hoc tamen stat, ut debeat virtus agendi tribui immediata, respectu substantiarum accidentibus.

CONFIRMATUR Conclusio, quando videmus duo concurrere, & duobus illis positis poni effectum, non positis non poni, cæteraque sunt paria, bene arguimus, utrumque illud esse causam, sed posito igne cum suo calore, videmus poni alium ignem, non posito non poni, & cætera sunt paria; præcipue in hoc, quia videmus solum calorem immediatè passo conjunctum, sine conjunctione immediatè ignis, alium ignem producere. Rursus pone impediri ignem, ne producat in se calorem, vel adhuc poterit naturaliter producere ignem, vel non poterit: si non poterit, præsumptio est, quod etiam calor illius concurrat, sicut cum videmus unum equum pondus non trahere solum, trahere cum alio, præsumimus utrumque trahere: si autem poterit causare alium ignem, contra erit, non potest sine prævio calore passi, quidquam igniri, Ergo nec ignietur sine calore agentis.

Punctum Difficultatis 2.

Solutio Objectionum.

OBJICIT PRIMò recentior Suar, paritates aliquas.

PRIMA PARITAS est; sola substantia potest immediatè recipere aliam substantiam, ergo & sola potest immediatè aliam producere.

RESPOND. Negando Antec. concessimus enim competere id quantitati. Disparitas etiam in hoc est, quia materia non recipit ubi non est, nec causat, nisi intimè unita: agens autem agit, etiam ubi præsens, quoad substantiam non est, sed in aliquo nonnisi sui, quod aliquid illius, non est aliud, nisi accidentia.

SECUNDA PARITAS. Unum accidens potest immediatè producere aliud, ergo & substantia aliam substantiam.

RESPOND. eadem quâ suprâ disparitate nempe quia nullibi agit, accidens nisi ubi est, non debuit ergo habere vicariam virtutem; jam autem substantia agit, ubi non est, debuit ergo illi provideri vicariam accedens.

TERTIA DISPARITAS posset esse, Virtus productiva entis spiritualis, debet esse spiritualis, ergo & productiva immediatè substantiæ, debet esse substantia.

RESPOND. vi ejusdem medii termini probari posse, quod substantia non possit producere accidens, quia si productivum entis spiritualis debet esse spirituale, etiam productivum accidentis, deberet esse accidens. Quod si dicas, non esse licitum argumentari ab exigentia unius effectus, respectivè ad suam causam, ad exigentiam alius effectus, idem nos in præsentī dicemus. Quoad disparitatem atinet, vel antecedens procedit de substantia spirituali, & sic clarum est, debere spirituale illius esse principium, nam substantia spiritualis, non potest aliter produci, nisi virtute creativâ, virtus autem creativa connaturaliter non potest tribui, nisi Deo, qui spiritualis est; Si verò nomine entis spiritualis veniant operationes spirituales immanentes, illæ etiam debent esse à principio spirituali, quia à principio ab intrinseco operante. Materiale autem non est ab intrinseco operativum spiritualium, extraheretur enim extra suam latitudinem tunc materiale principium, sicut extraheretur, oculus si produceret auditionem. Si verò nomine entis spiritualis veniant alia accidentia, illa etiam non possunt produci ab ente materiali, quia si res materialis produceret rem spiritualement, cum illa carens partibus, per partes produci non possit, consequenter darentur plures causæ adæquatæ unius rei, in eodem genere, quod naturaliter fieri non potest.

Sed in adferenda hac disparitate commodius recurreretur ad rationem Conclusionis, quia nec per rationem, nec per experientiam, constat, dari aliquam virtutem materialem, quæ suppleat connaturaliter defectum productivi spiritualis, & ratione autem & experientia constat, debuisse provideri à natura vim suppletivam substantiam.

Procedit item argumentatio à faciliore ad difficilius viâ affirmationis, nam difficilius est, ut res materialis producat rem spiritualement, à quâ illa & gradu spiritualitatis, & genere entis distat, quàm ut producat substantiam accedens materiale, quod à substantia, nonnisi genere entis discernitur.

Adde, materiale illud productivum rei spiritualis, vel esset substantia, vel accidens: Non substantia, quia substantia, unius substantiæ, non est vicaria: hinc jam propriâ virtute, deberet rem spiritualement producere, & tamen hoc non posset,

posset, utpotè rem perfectiorem gradu; Non etiam illud materiale productivum posset esse accidens, quia deberet in virtute substantiæ spiritalis producere, virtutes autem suis principalibus, saltem in gradu, deberet proportionari.

OBJICIT SECUNDÒ idem. Quando accidentia producerent substantiam, vel producerent illam se solis, aut simul, cum immediato concursu substantiæ: non se solis, quia accidens, cum sit longè ignobilius substantiâ, non continet in se virtute substantiam; quodsi accidentia producant substantiam, cum immediato alius substantiæ concursu, superfluum erit concursus accidentium, potiùsque concursui substantiæ, tribuetur illa productio.

RESPONDETUR. Hæc propositio: causa virtute continet effectum, nihil in re plus sonat, quàm quod possit producere effectum: hinc quando assumet Svar, pro probatione; Accidens non continet virtute substantiam, nihil probat, sensus enim rationis est, quod non possint accidentia causare substantiam, quod ipsum probandum est, sufficereque ad maximum, quod causa principalis virtute contineat effectum, licet illum non contineat instrumentalis.

DIRECTE autem ad medium terminum dici potest, quod accidentia interdum simul producant cum substantia, interdum se sola substantiam, ut sit in generatione posthumi. Casu autem, quò utrumque hoc principium concurrat, non erit concursus superfluum accidentis, quia concursus causæ instrumentalis, agente principali, non est superfluum. Nec tribuetur soli substantiæ productio, cum etiam accidentia in illorum absentia producant substantiam, quod ostendit inesse illis vim causandi. Illustrari hoc posset ex communi Philosophia, ductâ instantiâ, species impressæ provisæ sunt à natura, quia interdum objectum est improporionatum, & interdum absens, sic etiam provisæ sunt etiam substantiis accidentia, tanquam instrumenta, ut quoniam interdum est substantia absens, & unire se non potest passio, mediis accidentibus agat. Porro hæc species impressæ interdum concurrunt in præsentia & existentia objecti, ut dum videndo Petrum, intelligo Petrum, neq; tamen ex hoc supervacaneè natura providit de speciebus intellectui; sic cum in præsentia substantiæ agunt, tanquam instrumenta, accidentia non supervacaneè à natura censenda sunt esse provisæ.

INSTABIS: emanatio caloris non fit per aliquid intermedium, ergò nec productio alius substantiæ.

RESPOND. disparitatem esse, quia hæc emanatio non potest esse, nisi conjunctim in præsentia ipsius substantiæ; generatio autem alius substantiæ, hinc ad emanationem non debuerunt à natura provideri instrumenta.

OBJICIT TERTIÒ Arriag. Magis est pro-

portionata substantia ignis cum altera substantia ignis, quàm calor igni. Ergò potiori jure producit alium ignem, quàm calor.

RESPOND. Si ly t potiori jure, supponat, pro principaliter, Concedo totum: proportio etiam illa fundat nonnisi rationem causæ principalis, non autem excludit rationem causæ instrumentalis.

INSTARI POSSET PRIMÒ. Actio immediata denegatur substantiis in substantia, vel propter ejus perfectionem, vel propter imperfectionem: si propter imperfectionem, cum accidens sit imperfectius substantiâ, non poterit ei perfectior causalitas convenire; si etiam propter imperfectionem, tunc immediata actio DEO tribui non deberet.

RESPOND. Negando Minorem. Non enim propterea negatur concursus immediatus substantiis, in substantiarum productione, sed ob rationes alias prædictas. De objecto autem ipso discurrendo; an concursus effectivus immediatus, sit perfectior, an imperfectior, de hoc dici possit: Quod si sit immediatus concursus ex defectu, non erit tunc immediatus concursus perfectio; Et sic non erit perfectio in Deo, per seipsum nonnisi facere miracula, si hanc vim, cæteroqui communicabilem creaturis, dispensare non posset. Et in moralibus non posse habere famulos ignobile censetur; Quod si sit immediatus concursus ob excellentiam principalis, determinantis sibi nonnisi modum immediatè concurrendi, ut Deus qui nonnisi immediatè cum creaturis ad agendum concurrat, talis immediatio concursus, perfectionem adferet. Hinc ulterius dici potest quod negatio immediati concursus substantiarum ad alias producendas substantias, sit quadam perfectio, quia proficiscitur, ex vi, subordinandi sibi alia.

INSTAT SECUNDÒ Arriaga. Causa debet continere formaliter vel eminenter effectum. Accidens nullo modo ex his præcon- tinet substantiam; non formaliter; quia non est formaliter substantia; non eminenter, quia non est perfectior.

RESPOND. Majorem esse veram de sola causa principali, non autem de Instrumentali.

INSTAT TERTIÒ Oviedo: Operari accidens in virtute substantiæ, est operari cum substantia immediatè operante, vel est operari tantum per suam entitatem: Non primum, quia jam substantia esset immediatè operativa; Non secundum, quia accidens, est imperfectius substantia.

RESPOND. Operari accidens in virtute substantiæ, est esse accidens à natura provisum, ut loco substantiæ etiam absenti, operari possit, nec imperfectio entitativa officit ad hoc. Quando autem idem urget, quod in generatione animalium ex putri non fit ulla substantia, in virtute cujus illa animalia producantur, consequen-

quenter quodd nec illa accidentia concurrere in virtute alius substantiæ possint, id etiam non convincit. Quia licet illa accidentia non concurrant in virtute à se distincta, quam mendicent accidentia à substantiis aliquibus, univocè se habentibus, ad nata ex putri, sed concurrunt in virtute substantiæ, hoc est, prout à natura provisa, seu potius Deo auctore naturæ, in bonum producendarum illarum substantiarum.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur Solutio.

OBJICI POTEST QUARTO. Admittimus in productione ignis duas causas; principalem, hoc est substantiam ignis generantis, & instrumentalem, hoc est accidentia, quo posito sic instituitur argumentum. Agentibus accidentibus, vel agit substantia tanquam causa principalis, vel non agit: Si non agit, Ergo totalis causa generationis alius ignis, erit solum accidens, Ergo ulterius causa illa principalis, non est causa, cum nulla illi tribuatur actio: si autem agit, ergo in absentia causæ principalis, cum desit ejus influxus, æquè ad DEUM recurri debet, quod ut evitaretur, vis accidentibus à nobis attributa est, producendi substantias. Rursus si causa principalis etiam pro sua parte agit, agit in illo genere cauſandi principaliter, vel immediatè, vel mediatè: si immediatè, ergo immerito negamus substantias immediatè agere; si mediate, deberet agere mediantibus accidentibus, agere autem mediantibus accidentibus in genere cauſandi principaliter non potest, quia aliàs illis non tantum ratio agendi instrumentalis, sed etiam principalis tribueretur, quod absurdum est.

RESPONDETUR PRIMÒ, invertendo hoc argumentum de quocunque agente principali, comparatè ad suum instrumentum, sic v. g. quando Deus media gratia tanquàm instrumento justificat hominem, vel agit in illa justificatione præter id, quod est uti illa gratia tanquam instrumento, vel non agit: si non agit, Ergo non est causa principalis nostræ justificationis: contra Trident. si autem agit, vel hoc facit immediatè, vel mediatè: si immediatè, ergo immerito dicimus mediante nonnisi gratia justificari nos, si autem agit tunc DEUS mediatè, Ergo mediante gratia, exinde autem sequitur gratiam non fore instrumentum justificationis, sed causam principalem. Idem proponi potest de fabro, ferrà, tanquam instrumento utente.

RESPONDETUR, deinde Causam principalem agere tunc modo sibi proportionato agendi, causæq; principali debito, qui est, uti instrumento ut agat, & hic est ipsius influxus, sicut actio fabri in rasuras, est usus ferræ à fabro, licet cum disparitate, quia ferra est instrumentum conjunctum, adeoq; non movet nisi motum: jam autem accidentia sunt instrumentum separatum,

quod movere potest non motum immediatè à principali. Cujus ulterior ratio est, quia ferra est instrumentum ab extrinseco, calor autem est instrumentum ab intrinseco & ex natura sua. In hoc fallitur imaginatio argumenti, quia putat debere esse condistinctam semper actionem principalis & instrumenti, quod non requiritur, nam si potest esse eadem actio Creaturæ & Dei, cur non & eadem instrumenti cum principali, si sit instrumentum non conjunctum. Quare autem in instrumento conjuncto, requiratur alia actio principalis, ratio est, quia de ratione conjuncti instrumenti est, ut nonnisi motum moveat, jam autem non motum moveret, si nulla interveniret actio principalis, quia autem accidentia, sunt instrumentum separatum, possunt non mota movere, adeoq; non requirere causalitatem principalis, condistinctam à causalitate instrumentalis, præcipue autem, quia actio instrumenti separati, imputatur nonnisi principali, imputatione non solum morali, sed fundatà, in providentia facta substantiis, à natura, conferente illis instrumenta in bonum productionis, aliarum substantiarum. Hinc in generatione ex putri, nullus suppletur defectus causæ principalis, quia illic nulla intervenit causa principalis univoca, & posito, quod sit aliqua, ex eo suppleri diceretur, quia suppleretur ille usus instrumenti, qui debetur causæ principali, hic suppleri non indiget, quia cum illa accidentia sint instrumentum separatum, poterunt agere non mota immediatè à substantia, idq; ideo, quia sunt instrumenta non conjuncta, quibus est à natura tributa vis, ut etiam in absentia substantiæ, in similitudinem substantiæ operentur: Non ergo in absentia substantiæ à Deo suppletur ullus defectus. Et etiam si causa principalis mediantibus accidentibus exerceat suam causalitatem, non sequetur sola accidentia esse causam, quia duarum causarum, ut dixi, potest esse causalitas eadem, quod magis procedit de causa principali, comparata ad instrumentalem, cum agere per instrumentum immediatè, sit agere in aliquo sui, nec unquam derivabitur in causam instrumentalem ratio causæ principalis, quia non provideatur causa principalis in bonum instrumenti, ut agat ubi non est instrumentum, sed è converso.

INSTAT PRIMÒ Maftrius. Perfectior est influxus causæ principalis, quam instrumentalis, sicut causa principalis, est perfectior instrumentali. Ergo idem simpliciter influxus, erit perfectior & imperfectior.

RESPONDETUR, totam majoritatem, perfectionis influxus causæ principalis, in hoc stare, quia hoc ipsum, quod possit in substantiam influere, accidens habet sibi communicatum à substantia, cujus nomine agit; sed hoc potest stare cum hoc, ut eadem sit actio causæ principalis & instrumentariæ separatim agente, & sicut perfectior est influxus DEI in operationem creaturæ,

turæ, quàm ipsius creaturæ, hoc tamen non obstante, eadem actione agunt Deus & creatura, ita & in presenti.

INSTAT SECUNDÒ. Potest agere calor destructo igne, Ergò ille influxus non erit causæ principalis, sed nonnisi instrumentalis.

RESPONDETUR, illum influxum fore causæ principalis, non moventis quidem se motu suæ entitatis, moventis tamen se in aliquo sui, hoc est instrumento.

INSTAT TERTIÒ. Unicuique quod se habet, ut Quod agens, respondet, ut Quo agens. Ergò si ignis solum agit per calorem, ut per virtutem propriam, & hæc virtus est solum instrumentalis, hinc principalis causa in tantum aget, in quantum est causa causæ, quatenus scilicet producit accidens, quod postea producit substantiam.

RESPONDETUR. Concurrens Deus cum creatura, est agens, ut Quod, nunquidne actio illius est distincta ab actione creaturæ realiter? agit ergò & hic causa principalis, non actione distincta realiter, ab actione causæ instrumentalis, sed illa ipsa à se pendente, agitque ut causæ causa, non quomodocunque, sicut pater est causa filii, qui postea evadit pater, sed ut causa causæ, quæ cum sit ignobilior effectui, ordinatur à natura, ut suppleat absentiam causæ principalis, ejusque nomine agat.

INSTAT QUARTÒ. Illud est principium agendi actualiter, in quo passum formaliter assimilatur agenti, si est productio univoca, sed passum assimilatur in forma substantiali, non accidentali. Ergò.

RESPONDETUR, illud est principium agendi actualiter, per modum causæ principalis, in quo passum assimilatur, licet principio agendi instrumentaliter non debeat assimilari passum, sed suo principali. Accidens insuper, est causa æquivoca substantiæ.

INSTAT QUINTÒ. Exinde sequi, quod non daretur aliquod accidens naturale, quod dicatur instrumentum conjunctum in causalitate, sed quodlibet esset instrumentum separatum.

RESPONDETUR. Datis separatis virtutibus instrumentalibus, dantur adhuc virtutes conjunctæ, qualis virtus est species objecti transmissa per medium, quæ nonnisi conjuncta agit, lux item nonnisi conjuncta illuminat.

Quando autem videtur contentari Matrius, si ponatur accidentis in substantiam concursus partialis, id ei concedi posset, modo non exigit concursus distinctum ab actione causæ instrumentalis, sicut non est distinctus concursus DEI & creaturæ, licet hæc non in omnibus sint paria.

OBJICIT QUINTÒ Pontius. Implicat quod ab imperfectiori possit immediatè produci perfectius, tanquam à causa totali.

RESPOND. Negando causam instrumentalem esse causam totalem, hoc ipso enim, quia instrumentalis causa est, supponit aliam, hoc est causam principalem. Jam autem accidentia, sunt causa instrumentalis.

Universaliter nonnisi eorum effectuum, causa debet esse æquè perfecta, quando effectus assimilatur causæ, & ratio est, quia si causa, quæ sibi assimilatur effectum, non esset æquè perfecta, & assimilaret sibi effectum, & non assimilaret: assimilaret ut supponitur, non assimilaret autem, quia hæc similitudo fundatur in unitate convenientiæ substantiarum. Quod si causa non esset æquè perfecta, quomodo haberet unitatem convenientiæ substantialis cum effectui?

Sed quid si effectus dissimilatur causæ, arguendumne quod causa sit æquè perfecta, vel perfectior effectui. Hæc dissimilitudo potest esse, vel per excessum, vel per defectum; nam æqualitas dissimilitudinem in eo genere, in quo est æqualitas, non fundat: dissimilitudo effectus per excessum est, cum accidens producit substantiam: dissimilitudo effectus per defectum est cum v.g. Deus producit hominem, ignis calorem: quando est dissimilitudo effectus per defectum, præsupponitur semper perfectio major in causa, hocq; probat inductio, v.g. in Deo producente hominem, igne calorem, sole lucem &c. & ratio est, quia si non esset causa perfectior præ defectu dissimilato per defectum, & esset dissimilatus effectus per defectum, ut supponitur, & non esset dissimilatus per defectum, quia defectus est, per ordinem ad excessum. Ergò si excessus non est in causa, quomodo illi per defectum dissimilatur effectus, si autem sit dissimilitudo per excessum, tunc causa debet esse ignobilior, quod ipsum etiam ostendit inductio: nam ignobilior est entitas naturalis intellectus, præ supernaturali dignitate in visione inclusa, ignobilior species est materialis, præ specie impressa spirituali, quam etiam suo modo causat, & sic de reliquis: & ratio est, quia excessus effectus præ causa, salvari non posset, sine defectibilitate causæ, nihil enim esset quod excederetur.

INSTABIS PRIMÒ. Ex eodem, quia accidentia illa censerentur, ideo agere in virtute substantiæ, quia sunt virtus substantiæ, hoc autem non salvat, ut dicantur agere in virtute substantiæ: Tum quia est impropria locutio agere in virtute substantiæ, quod est virtus substantiæ: Tum quia, ex hoc, quod accidens sit virtus substantiæ, non sequitur, quod sit æquè perfecta, aut perfectior præ substantia producenda.

RESPOND. Negando minorem: parum etiam refert de proprietate locutionis, modò de re constet, quanquam est propria locutio agere in virtute intransitiva substantiæ, & esse virtutem substantiæ: sicut idem est in virtute artis hoc agitur, & virtus hoc est artis, non debet

bet etiam esse instrumentalis causa, æquè perfectæ ac effectus producendus.

INSTABIS SECUNDÒ. Accidens ex natura sua habet esse virtutem substantiæ. Ergò ex natura & virtute sua habebit producere substantiam.

RESPOND. In hoc sensu accidens ex natura sua & virtute habet, ut producat substantiam, hoc est, non per superadditam aliquam virtutem, sed non in hõc sensu, quod tanquam aliquid primò, & per se intendibile habeat collocatam illam virtutem. Sic malleus ex natura sua habet, quod non sit principalis causa, non tamen agit propriâ virtute.

INSTAT TERTIÒ. Ex eo, quia calor est virtus substantiæ, vel habet aliquam perfectionem, quam non haberet, si non esset virtus substantiæ, vel non habet: Si non habet, ergò per hoc quòd sit virtus substantiæ, non potest producere magis quàm si non esset; si habet, ergò ultra entitatem caloris, recipit aliquid aliud.

RESPOND. Habere calorem aliquam perfectionem, sed sibi identificatam realiter, poterat enim dari calor, qui nihil agere possit in absentia ignis, & ex altera parte, quia hoc calor non facit tanquam causa principalis, dicimus hoc illum facere, non propriâ virtute.

OBJICIT SEXTÒ idem. Ex nostra sententia sequitur, quòd substantia non sit causa principalis alius substantiæ, non enim potest dici causa principalis à qua effectus immediatè non emanat nec sufficit quòd immediatè influat in accidentia, quæ postea influunt in substantiam, aliàs avus esset causa principalis nepotis, quia immediatè producit patrem ejus, qui postea generat.

RESPOND. Sufficere, ut immediatè in aliquo sui, causa influat in effectum, aliquid autem causæ principalis, sunt instrumenta nec verò propterea immediatè per nos causa influit, quia producit accidentia, sæpè enim illa non producit, ut v. g. si ignis ex attritu lignorum generetur, calorem illum non producit ignis, sed ideò immediatè influit, quia instrumenta sunt aliquid ipsius causæ principalis, hoc est, sunt à natura instituta, ad vices supplendas illius.

Nec inde sequetur, avum esse causam principalem nepotis, quia Pater, qui generat nepotem avi, non est instrumentum à natura provisum avo, sed est primò, & per se intentus, respectu effectus primò, & per se intenti, & sicut calor producendo alium calorem, non est causa instrumentalis ignis, ita nec pater est causa instrumentalis sui filii.

Neque ulterius inde sequetur, causam principalem, esse causam per accidens, hoc est, non primò & per se intentam, aut non operari per virtutem sibi à natura appropriatam, sed in hoc sensu est causa per accidens, quòd scilicet non nisi mediante accidente, tanquam instrumento sibi proprio, efficiat substantiam sibi similem,

Deinde rasuram ferri immediatè non facit faber, sed serra, & tamen indubiè, faber, est causa principalis. Ergò idem in præsentī salvari poterit, operante principali, immediatè, per suam virtutem, quæ immediatio, est debita operanti principali, per sua instrumenta.

INSTABIS PRIMÒ. Si Deus produceret solum calorem, & non concurreret ad calefactionem, esset causa nonnisi per accidens illius calefactionis. Ergò & agens principale, nonnisi per accidens erit causa, si immediatè nihil agit.

RESPONDEO: Disparitatem esse, quia ille calor à Deo productus, non esset instrumentum à natura Deo provisum, sicut calor, est instrumentum provisum à natura igni, idque ob deficiabilitatem ipsius ignis, qui non potest semper esse vicinus passo, in quo perficitur effectio substantiæ ignis, immò nec se, primo insinuare, nisi mediò calore, consequenter ille calor, non censetur agere virtute & nomine DEI; calor autem à Natura est provisus tanquam instrumentum, agitque nomine illius.

INSTAT SECUNDÒ Idem. Ex nullo capite accidentia illa, si causant immediatè substantiam, excludi possunt à ratione causæ principalis, non enim ex eo, quia accipiunt entitatem à substantia, & insuper immediatè agunt, non accipientes aliquam virtutem à substantia ad agendum.

RESPOND. Argumentum probare, quod gratia non sit instrumentum DEI ad nos iustificandos, cum immediatè agat, & non accipit ullam virtutem à Deo ad iustificandum, à se distinctam. Quare autem accidentia non sunt causa principalis, ex definitione petendum est, quia scilicet non primo per se intenduntur; & licet non accipiant à substantia virtutem distinctam à se, ad agendum substantiam, accipiunt tamen virtutem indistinctam, & sibi identificatam, eò quod sint entitative virtus substantiæ; & si accipere à substantia aliquid distinctum, ad operandum substantiam, faceret non esse accidentia virtutem principalem, multo magis si sint accidentia, entitative virtus substantiæ, non erunt etiam causa principalis.

INSTAB. TERTIÒ. Calor ut quatuor non potest producere calorem ut quinque. Ergò neque producere potest substantiam.

RESPOND. Disparitatem esse, quia calor ut 4. respectu alius caloris, non est causa instrumentalis, hinc excedentem se effectum non potest operari, jam autem respectu substantiæ, accidens, est nonnisi causa instrumentalis, consequenter nomine substantiæ operando, plus poterit. Sed hinc

OBJICITUR SEPTIMO. Causa principalis debet esse ad minimum, ita perfectæ, ac effectus producendus. Ergo & causa instrumentalis, & si prior illa non potest producere effectum se nobiliorem, nec posterior poterit.

RESPOND.

DIFFICULTAS III.

*De causa efficiente accidentium.***ASSERO PRIMÒ.** *Substantias immediatè emanare ex se aliqua accidentia.***RATIO.** Quia aqua calefacta reducit se ad pristinum accidentale debitum sibi frigus, cujus frigiditatis, nullum aliud præter substantiam aquæ, potest assignari principium.**DICES PRIMÒ.** Posse hoc referri in ipsum agens productivum aquæ, quia qui dat esse, dat consequentia ad esse.**RESPONDETUR.** ea, quæ consequuntur, idque immediatè primum productionem rei, posse ipsi producenti tribui, non tamen ea, quæ benè post contingunt, quia illa eveniunt, quamvis jam non sit in rerum natura illud productivum, sed ad illud proloquium salvandum, sufficit, quòd illa consequentia esse, imputentur ipsi producenti, utpotè fundata in ipso esse, quòd tribuitur producenti jam autem causa causæ, est causa causati.**DICES SECUNDÒ.** Quamvis aquæ sit passio, frigus, tamen illius emanatio, potest non tribui aquæ; quòd ipsum probatur, quia ad gratiam sanctificantem habent se reliquæ virtutes & habitus, sicut passionēs, & tamen immediatè à DEO producuntur.**RESPOND.** Cum sine gratia maneant habitus fidei & spei, supponendum est prævisam esse talè gratiam, quæ non sit horum habituum emanativa de se, quia aliàs nonnisi miraculosè conservari deberent illi habitus in peccatore, utpotè consistentes, sine sui causa, nempe gratia emanante. Unde DEUS defectum causæ in illorum conservatione supplere deberet, consequenter miraculum tunc fieret; ne itaq; multiplicarentur miracula, debuit dari hæc species gratiæ, quæ nec emanaret, nec conservaret illos habitus, arbitrariumq; diceret aliquis, tribuere gratiæ vim emanandi, non tamen conservandi illos habitus, sicut ignis calorem producit, non conservat, nam datur quidem exemplum in natura, ut effectivè producta ab aliis, ab alio conserventur, sicut calor in extraneo subjecto productus, ab igne, sed non datur exemplum, ut emanativè producta, ab alio principio conserventur, aliàs deprimeretur etiam miraculum Eucharisticum, dicendo illa accidentia, non habuisse dependentiam in conservari à pane. Cæteros autem habitus, intimiùs connexos gratiæ, & qui nunquam sine illa reperiuntur, nego emanativè, non produci à gratia. Alia etiam hæc disparitas assignari posset, quòd nullum sit absurdum in effectatione supernaturalium recurrere ad Deum, est autem absurdum in effectatione naturalium, recurrere ad eundem, si causa alia ostendi possit. De Antecedenti vide de Fide D. 5. Q. 1. D. 3. P. 3.**ASSERO SECUNDÒ.** *Quando in extraneo subjecto producuntur accidentia, respectu illorum causa***RESPOND.** Disparitatem esse, quia causa principalis vel assimilatur sibi effectum vel dissimulat, per defectum, in ipso effectum reperibilem, quòd priùs, æqualitatem, posteriùs, excessum perfectionis in causa deposcit; jam autem causa instrumentalis non est nata per se, vel effectum sibi æqualem producere, vel perfectiorem, in quantum agit tanquam instrumentum.**INSTABIS PRIMÒ.** Saltem accidentia respectu genitorum ex putri, si cæteroqui respectu illorum sunt causa immediata, etiam erunt causa principalis respectu eorum.**RESPONSUM** suprà, quòd non. Hoc tantum addo, DEUM cognoscere naturam ranæ, & omnia illarum individua possibilia, agnoscit etiam, naturam ranæ non deposcere, ut sese natura illius multiplicet, multiplicatione perfectis animalibus debitæ, ne tamen hæc natura pereat, dat illi virtutes accidentales, ad beneficium multiplicationis. Unde per ordinem ad nostros conceptus principalis causa productionis ranarum est natura illarum, cognita à DEO potens multiplicari mediis illis virtutibus accidentalibus, in re autem non datur causa illarum principalis univoca, sed, ut dixi suprà, principalis æquivoca.**INSTABIS SECUNDÒ.** Saltem ex dictis sequitur, in ratione agendi, esse quid nobilius accidentia illa, præ substantia agente principaliter: nam agens principale, non potest suprà vires suas agere, nec producere perfectiorem se effectum, potest accidens.**RESPONDETUR.** Negando Sequel. Nam etiam rigorosè loquendo, accidens tunc non agit supra vires suas, cum vires illius sint in bonum principalis, producere perfectiorem effectum se simpliciter & entitativè accepto, sed non se nato perfectiori, assimilare effectum. Sed quid sit de hoc, aliter eidem argumento satisficit: nam hic titulus; quia natura in agendo subordinavit accidentia principali, cum nonnisi ad illius exigentiam, & illius exigentiæ perfectionem tribuatur hæc illis vis, idèò semper retinent titulum nobiliorem causæ principalis, cum hanc ipsam vim, debeant principali, instrumenta.**ADDO** autem, accidentia non ipsius agentis, sed passi esse productiva substantiæ. Ratio: quia sæpè agens, non est, nec accidentia agentis, & tamen sit generatio; quamvis autem non sint in ipso agente, dicuntur virtus agentis, quia sunt instrumentum non conjunctum illius, per hoc tamen non nego, quòd accidentia agentis, cum agens agit immediatè, producant accidentia in passio, & accidentia habent munus & disponere materiam & esse virtus agentis, nec inde sequetur, quòd agant virtute passi, virtute enim ejus agunt, cui sunt tanquam virtus à natura provisa, provisa autem sunt, agentis.

causa principalis, sunt accidentia similia. Est assertum contra recentiorum Suar.

RATIO. Non est major ratio, cur substantia, respectu substantiarum, possit esse causa principalis, & non accidentia respectu accidentium sibi similia; suppositoque, quod definitivè causa instrumentalis, sit causa subordinata alteri, non poterit ostendi, cur accidentia in productione aliorum accidentium subordinentur substantiis: & sicut quod accidens, sit entis ens, supponit accidens prius in se esse ens: ita quod subordinatur in operando alteri, supponit illud posse operari simpliciter, non posset autem simpliciter operari, si respectu accidentium Accidens non foret causa simpliciter, seu principalis; & sicut servus habet aliqua opera, quorum Dominus est, ita & causa instrumentalis habebit opera, respectu quorum principalis munus, gerere poterit.

DICES PRIMÒ. cum recentiori Suar. Instrumentum est, quod alteri subordinatur in operando, & agit ut Quo, accidens autem subordinatur substantiæ in operando, quia subordinatur, etiam in essendo.

RESPOND. Majorem esse subordinationem Creaturæ ad DEUM, quàm accidentis ad substantiam, cum hoc tamen stat, ut respectu effectuum suorum naturalium, sint causæ principales, substantiæ; ita & in præsentia, subordinatio, non tollet, quo minus accidentia sint causa principalis respectu accidentium. Sola ergo subordinatio, quæ facit non per se aliquid intendi, & in aliquibus subordinatio non assimilandi sibi effectum, arguit, non esse aliquid principale agens.

DICES SECUNDÒ, cum eodem, Accidentia agunt ut Quo, causa autem principalis debet agere ut Quod, quod autem agant ut

Quo, inde probat, quia agere ut Quo, est agere suppositorum, per se subsistentium, quod accidentibus non convenit.

RESPONDETUR. Agere ut Quo substantialiter, & per modum subjecti denominationis, est agere substantiarum, unde etiam dicitur in proprietate aqua extinguere ignem, non ejus humiditas & frigus; sed agere ut Quo tanquam principii, à quo procedit actio, nego, quod sit, non nisi substantiarum.

DICES TERTIÒ cum eodem, Quamvis bonum accidentis, sit, producere aliud accidens, est tamen bonum, quod ultimo refunditur in bonum substantiæ.

RESPONDETUR. Productionem accidentis refundi in bonum substantiæ, tanquam in subjectum denominationis, sed non tanquam in principium per se intentum.

ASSERO TERTIÒ. Si ignis spoliaretur omni calore divinitus, non posset connaturaliter producere in subjecto extraneo calorem.

RATIO. Tum quia ageret in distans, quomodo enim uniretur extraneo subjecto, neque enim transmissione actionis, quæ est modus, vel non sine modo, uniri potest, ob illius essentialem connexionem cum modificato, respuente mutare subjectum. Et certè sine virtute agendi sibi à natura provisa, nihil agere potest, calor autem, ut supra vidimus, est virtus agendi igni provisa. Tum quia prius est esse aliquid in se, postea ad aliud, non esset autem prius in se, si non perficiendo se per calorem sibi debitum, progrediretur ignis ad calorem in alio producendum. Tum quia frustra jam igni emanandus esset ex se calor, si sine emanato, est proximum principium agendi; sicut frustra sunt distinctæ potentia ab anima, si sola est sufficiens principium suarum intellectionum.

DISPUTATIO VI. DE EFFICIENTE INCREATO.

PRÆMITTO I. *Dari efficiens increatum.* Demonstrat id Aristot. 12. Metaph. tex. 30. & secundo Metaphys. tex. 5. item 8. Physic. 1. tex. 34. quam demonstrationem, fusè proponit S. Thom. I. Contra gentes C. 13. & prima parte Q. 2. a. 2. Videantur dicta, in prima parte, ubi de Existencia DEI.

PRÆMITTO II. *Efficiens increatum, operationum suarum ad intra, habere principia Intellectum, & Voluntatem; Operationum autem ad extra principium habet, quod appellatur Omnipotentia,* quam DEO esse concedendam, Ratio probat. Tum quia est perfectio simpliciter simplex, quam melius est habere DEUM, quàm non habere: Tum quia enti, à quo reliqua dependent possibilia, danda est virtus productiva

possibilium, hæc autem virtus in DEO, Omnipotentia est: Tum quia, si non daretur ens productivum ex nihilo, nullum posset esse universum, ut suppono ex demonstratione de DEI existentia, & ex principio recepto: Ex nihilo, vel à nihilo nihil fit. Ergò debuit dari Principium, Entium productivum, ex nihilo: hoc autem non potest esse aliquid aliud, nisi Omnipotentia.

PRÆMITTO III. *Hanc Omnipotentiam esse formaliter condistinctam ab ipsa voluntate, quæ aliquid vult fieri ad extra, quidquid sentiant in oppositum Scotus, & cum eo Valq. & Molina.*

RATIO. Tum quia voluntas habet aliud objectum, hoc est bonum; Omnipotentia autem habet pro objecto, factibile: potentia autem